AN. LXXXI SERIES VII FASC. III. AN. 1956

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concili

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Ep. Volateranno — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C^i — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - Sped. in Abb. Post. - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - IX - 1956.

† BLASIUS MUSTO
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

S. Congreg. De Religiosis.

DECRETUM: Normae dantur quoad conventus qui accomodatam statuum perfectionis renovationem respiciunt. (Adn. CANALS, S). Pag. 367

S. Congreg. Rituum.

DECRETUM GENERALE: Liturgicus hebdomadae Sanctae ordo instauratur. . . . . » 378

INSTRUCTIO: de Ordine Hebdomadae Sanctae instaurato rite peragendo. (Adn. BRAGA, C.). . . . . » 382

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

Sacra Romana Rota.

Coram B. P. D. Petro MATTIOLI, *Ponente*. BAREN. *Nullitatis Matrimonii*. (C. F.). *Incidens de nova causae propositione*). Decretum diei 11 januarii 1956. . . . . » 413

Coram R. P. D. Petro MATTIOLI, *Ponente*. (*De forma canonica*). Sen. diei 22 febr. 1956. . . . . » 416

Coram R. P. D. Boleslao FILIPIAK, *Ponente*. Vic. Ap. Alexandriae Aegypti. *Nullitatis Matrimonii*. (*Ob exclusum bonum sacramenti*). Sent. Definitiva diei 23 martii 1956. . . . . » 438

Coram R. P. D. Petro MATTIOLI, *Ponente*. (*De metu indirecte incusso*) Sent. diei 24 martii 1956. . . . . » 442

Coram R. P. D. Boleslao FILIPIAK, *Ponente*. PARISIEN. Sent. definitiva diei 25 martii 1955. *Nullitatis matrimonii. Ex capite conditionis appositae et non purificatae*. . . . . » 447

Coram R. P. D. Boleslao FILIPIAK, *Ponente*. N. N. *Nullitatis matrimonii*. (*Ob mentis infirmatem in muliere*). Sent. definitiva diei 15 junii 1956. . . . . » 454

STUDIA ET CONSULTATIONES

BANK, J. De Justiniano Cardinali Seredi. . . . . » 463

BENDER, L. Convalidatio matrimonii et defectus consensus. . . » 482

STICKLER, A. M. « Monumenta Juris Canonici ». De textuum iuridicorum Corpore edendo. . . . . Pag. 494
RUOTOLO, R. Natura giuridica della Congregazione di S. Cecilia. « 501

RECENSIONES

BACCI, A. Lexicon eorum vocabulorum quae difficilius latine redduntur. (SABATTANI, A.). . . . . » 529

DOCUMENTA

Pii PP. XII. ALLOCUTIONES: Docentibus atque alumnis ex Instituto Iuris canonici et Historiae iuris in Universitate Studiorum Vindobonensi. . . . . » 531
Christifidelibus Sodalibus Tertii Ordinis Sancti Francisci ex Italia Romae coadunatis. . . . . » 532

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta SS. Congregationum. (***) . . . . » 537
Acta SS. Congregationum . . . . . » 541
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS


Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1956_81_3

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DECRETUM

NORMAE DANTUR QUOAD CONVENTUS QUI ACCOMODATAM STATUUM PERFECTIONIS RENOVATIONEM RESPICIUNT.

Salutaris atque foecundus ille renovationis accomodatae Statuum perfectionis motus, qui a maximo Congressu romano, Anno Sancto 1950 iam in finem vertente, Paterno ac Illustri ductu SS. Domini Nostri Pii Pp. XII celebrato, feliciter sumpsit initium, per totum hoc quinquennium (1950-1956), uberes fructus ubique tulit, tum ad religiosam perfectionem ac formationem quod spectat, tum ad ministerium apostolicum ac Institutorum inter se coordinationem.

Ut autem haec benefica renovatio et accommodatio consulte ac ordinate procedant, in dies progrediatur, intensior fiat tutiusque diffundatur, S. Congregatio negotiis religiosorum Sodalium praeposita, obtenta venia et approbatione SS. Domini Nostri in audientia Eminentissimo Cardinali Praefecto huius S. Congregationis, die 3 Novembris 1955 concessa, sequentes normas statuere decrevit, tum maxime valituras quum renovatio disciplinae ac vitae internae Statuum perfectionis in quaestionem venerit, salvo quidem iure Ordinariorum prout sacris Canonibus sancitur:

1. Conventus seu Congressus tam dioecesanos quam regionales vel nationales, sicut etiam lectionum cursus atque scholas peculiares pro Sodalibus viris vel feminis Statuum perfectionis, in quibus eorum vita interna, condicio iuridica, vel educatio atque formatio in illis tradenda tractantur, inconsulta S. Congregatione de Religiosis agere vel instituere non licet. Ius enim ac ipsa natura rei postulat ut Sancta Sedes, cui publici perfectionis status moderatio suprema et efficax reservatur, secura reddatur tam de doctrina quam de opportunitate programmatum pariterque de competentia et experientia illorum qui in coetibus istis praeesse vel docere habebunt.

2. Curent igitur conventuum cursuumque huius generis promotores vel praesides tempestive huic S. Congregationi argumentorum

et oratorum elenchum exhibere; conventu autem habito, is qui ei praefuit, ad eamdem S. Congregationem referat de rebus tractatis, de disputationibus habitis, de conclusionibus collectis, et generatim de omnibus quae accommodatam perfectionis Statuum renovationem tangunt.

3. Ubi vero iam exsistunt foederationes seu consilia Superiorum Maiorum cum statutis propriis ac commissionibus peculiaribus adnexis, a S. Sede approbatis, opportune eorum opera eligi poterunt, atque Sacrae Congregationi proponi, viri probati qui in conventibus cursibusve supradictis verba facere valebunt.

4. Laudabiliter ab Exc.mis Locorum Ordinariis convocantur Statuum perfectionis Sodales, qui in dioecesi domum habent ministeriumque exercent, ad illa cum eis examinanda, communicanda vel paterne discutienda, quae ministeria ab ipsis exercita, quatenus legitime dioeceses intersunt, pertinent. Tales enim conventus valde commendantur utpote qui ad unitatem cum Patre et Pastore gregis attestandam ac fovendam, atque ad apostolatus munera promovenda efficienterque dirigenda prorsus apti videantur.

Quae omnia, si sedulo et accurate fient, nedum coetus atque conventus et incepta quaeque ad renovationem accommodatam Statuum perfectionis ordinata impediant vel cohibeant, verum etiam ad uberiores fructus in dies afferendos ea iuvabunt quam maxime.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 26 Martii A. D. 1956.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. + S.

Arcadius Larraona, C. M. F., *Secretarius*

(*A.A.S.*, vol. 48, pag. 295-296).

ADNOTATIONES

Non semel opportunum censuit Sancta Sedes proprias agere partes ac ad proprium vigilantem revocare consilium, ea quae peculiarem doctrinam atque specificam, attinere videntur (cfr. quoque nuper editum decretum Pontificiae Commissions Biblicae — *A.A.S.*, 1956, pp. 71-74). Cuius rei causa semper eadem manet, sese nimirum certiorem facere de huius doctrinae integritate relate ad Ecclesiae Magisterium, opportunitate quoque servata rationis, temporis, loci, personarumque tutelae.

1. Porro praesens documentum S. Congregationis de Religiosis formam decreti induit; quocirca non partium instantia, verum, propria voluntate ac motu proprio S. Congregationis editum est; item, eo quod decretum, non doctrinalem ordinem respicit, cum nihilo secius elementis doctrinalibus non careat, at singillatim ordinem dispositivum, uti aiunt, seu administrativum, plerumque refert: quod decretum apprime ab Instructione secernit.

Sane in hoc decreto expressa mentio fit Summi Pontificis approbationis, quae habita est in Audientia Em.mo Cardinali Praefecto concessa die 3 Novembris 1955; sicubi agatur de actu gravi et extraordinario, ut plane videtur, haec approbatio omnino requirebatur ad normam can. 244, § 1, quo sequentia statuuntur: « Nihil grave aut extraordinarium in iisdem Congregationibus, Tribunalibus, Officiis agatur, nisi a Moderatoribus eorumdem Romano Pontifici fuerit antea significatum ».

Quambrem etsi non affirmandum agi de confirmatione in forma specifica, (et hac de ratione decretum manet, ex consequenti, formaliter actus S. Congregationis), constat tamen eidem profecto confirmatione pontificiam concedere vim novam, novasque tutelam ac fidem.

Decretum ex praeambulo componitur (cuius in fine, expresse cavetur de juribus quae, iuxta Codicem, ad Exc.mos Ordinarios pertinent) atque ex quattuor numeris; quos, postea, sequitur de plano conclusio, itemque, omnium decretorum, immutabilis clausola: « contrariis quibuslibet non obstantibus ». Dein Em.mi Cardinalis Praefecti et Exc.mi Segretarii subsignificationem refert documentum.

Ex quattuor numeris quibus constat decretum, n. 1 generalem dispositionem continet ad modum prohibitionis, cum exposita plane reservatione juris, ex parte S. C. de Religiosis; n. 2 proceduram potius statuit, quatenus modum determinat et tempus recurrendi ad S. C. quo permissio obtineri queat de qua in n. 1 una cum obligatione reddendae in fine rationis; n. 3 Foederationum et Consiliorum a Majoribus Superioribus habendorum positionem definit de collationibus seu coetibus instituendis; n. 4 consecratus est ad delineandam ac sanctionibus muniendam peculiarem concretamque formam illorum coetum qui a locorum Ordinariis convocati ab iisdem praesidentibus concluduntur.

2. Sane, in titulo decreti, per quem contentarum in ipso dispositionum determinatur obiectum, vigilanter sermo fit « de statibus perfectionis », quatenus significari possit in limitibus eiusdem, ideo-

que sub eius praescriptionibus comprehendi non modo statum canonicum, verum etiam statum perfectionis juridicum. Ac singillatim Ordines, Congregationes religiosas Societatesque vitae communis absque votis, quae a S. Congregatione de Religiosis (c. 251 § 1) reguntur, quaeque perfectionis statum canonicum constituunt, simul ac saecularia Instituta quae ab eadem Congregatione moderantur, ad normam C. A. « Provida Mater Ecclesia » (art. IV, § 1) quaeque perfectionis juridicum statum efformant, completum quidem, at non canonicum.

3. Profecto n. 1 Decreti, quod commento sumimus exponendum, continet — modo vel exteriorem vestem eiusdem muneri quis examinet, discutiat — generalem dispositionem, ad modum legis prohibentis, quae duas praesefert diversas rationes atque complementares:

a) Status perfectionis, primum, ac ideo personae ad ipsos pertinentes, ab ulla possunt convocari persona, ab ullo Ente, absque S. Congr. Religiosorum, praevio consulto, paucis exceptis quae n. 4 decernuntur;

b) Nemini licet iisdem perfectionis statibus communia quaeque impertiri magisteria, de iis quae eorum attinent internam vivendi rationem, juridicum statum, sodalium educationem ac formationem, sine praevio consulto Sacrae Congregat. de Religiosis.

4. Convocatio enim statuum perfectionis in coetibus quorum disciplinam statuit Decretum, habet profecto rationem regiminis atque gubernationis, quae uni Apostolicae Sedi sunt pertinere censenda, aut personae vel Enti ab ipsa Sancta Sede expresse delegatis, cum de Societatibus seu personis moralibus characteris universalis agatur, quae Sanctae Sedis ditioni, ad normam juris canonici, directe subjiciuntur.

Eadem sane ratione, disciplinae praecepta quae iidem societatibus proponuntur in materiis quae a Decreto numerantur, rationem induunt illius plane publici ac specifici magisterii, quod recto tramite uni Apostolicae Sedi est reservandum, e qua pendet ordo harum societatum, quodque private exerceri non potest a personis aut Entibus quae veniam vel delegationem a S. C. de Religiosis non obtinuerint.

Quamobrem plane patet sive adspectum gubernii et organizationis, sive adspectum doctrinalem horum coetuum, pari modo praeviae S. Congr. de Religiosis permissioni esse subiectos.

5. Demum verbis « *agere vel instituere* », dictam permissionem esse necessariam voluit Legislator confirmare, tum si praedicti conventus raro vel data occasione habeantur, tum si saepius ac statutis ipsi convocentur temporibus.

Similiter praevium consultum, de quo in n. 1 Decreti, ad hoc tendit ut venia obtineatur atque permissio a S. Congregatione; venia scilicet ac permissio quae verae et propriae delegationi ac investiturae ideo sunt aequiparandae quod ad actus et magisterium ordinant, quae propria natura Sanctae Sedis reservationi subesse censentur.

6. Determinatis autem, definita ratione, et extensione interdictionis contentae n. 1, et natura permissionis extantis praevio consulto, modo, verbum saltem dicendum de personis quae in interdictione comprehenduntur, item de diversis generibus collationum, itemque de his quae continentur ab obiectis quae sublata fuerunt.

a) Ad personas quod attinet, dicendum eas omnes comprehendi, sive physicae sint sive morales, in amplis atque universalibus verbis a Decreto adhibitis quaeque nullam exceptionem pati videntur. Personas privatas omnes includi, etsi eminentes in ordine doctrinae vel apostolatus; item praecellentes homines — diversarum religiosarum institutionum, sive perfectionis, sive incaeptionis — initiationis operarum religiosarum aut apostolicarum; nec, simili ratione, exceptionem permitti pro personis moralibus, etsi magisterio ac operum coordinationi postea suffectis; itemque non dari exceptionem pro Foederationibus ipsis, aut Coetibus, in diversis Nationibus jam constitutis, uti Decreto n. 3 profecto confirmatur.

Exc.mos Ordinarios quoque comprehendi, firmis extantibus quae certis limitibus statuuntur in n. 4.

b) Quod autem ad diversas Coetuum formas spectat, Decretum loquitur de Congressibus et de conventibus, de curriculis praelectionum ac de peculiaribus scholis.

Porro, statuitur, ut patet, certa differentia inter conventus et congressus, sicubi primi intimiores ac minus extensi habendi sunt, quod characterem minus systematicum ac completum habeant; dum alteri constituunt coetus ampliores, et, generatim, characterem officialem induunt, una cum ordinibus studiorum maioris rationis, organicis atque magis systematicis. Juxta limites territoriales ac sphaeram influentiae, Congressus possunt esse: dioecesani, si sunt pro dioecesibus ordinati; regionales, quod regionem comprehendunt; dein nationales, si urgentur ad generales cuiusdam nationis producendos effectus.

Singillatim quoque considerantur cursus praelectionum, qui singulari ratione brevi tempore suscipiunt individuum argumentum dilucidandum vel caput doctrinae — spirituale, apostolicum aut juridicum — de vita perfectionis, in scholis peculiaribus, quae ordinatim, diversis temporis periodis, magis organicos ac systematicos solent tradere cursus.

c) Adnumerantur autem inter tractationis obiecta quae substrahuntur: ordo vitae Institutorum internae, eorumdem Institutorum status iuridicus, dein educatio atque sodalium formatio.

Porro ad vitam Institutorum internam pertinere censentur quae regimen attingunt, gubernium, moderamen, administrationem, disciplinam; conditio autem juridica horum Institutorum, eorumque sodalium, ordinem habet ad diversos « *status* » quales isti ex jure generali ac constitutionali et ex pluribus particularibus juribus emergere cernuntur; educatio et formatio, theologiam comprehendunt, asceticam vitae perfectionis ac disciplinam; item, adspectus intellectuales et morales, sive genericos sive specificos, sive religiosos sive saeculares, sacerdotales quoque aut laicales, et apostolicos.

7. Modo examinivamus momentum sive genericum sive specificum praescripti. Decr. n. 1: quodam eiusdem sit fundamentum juridicum restat videndum.

Sane S. Congregatio de Religiosis tamquam ad huius dispositionis proprium fundamentum, adducit juridicam, internam vitam omnium institutionum status completi perfectionis — modo canonici, modo juridici — propriae supremae subesse moderationi efficaci ac exclusivae, tum ex juridice statuta sanctione (c. 251 § 1; C. A. « Provida Mater Ecclesia », Art. IV, § 1), tum ex ipsa rerum natura, itemque ex necessitate boni regiminis harum institutionum quae sicubi secundum universalem formam extructae sunt, debent profecto hierarchia characteris personalis inniti, quae a S. Sede recto tramite pendet.

Nunc age, Sacra Congregatio de Religiosis huic supremae efficaci ac exclusivae moderationi abdicaret quodammodo, si inter Ipsam et Status perfectonis extare possent « initiativae », quae dicuntur, ab eadem S. Congregatione, non permissae nec moderatae, quae delicatum munus obirent definiendarum, urgendarum et renovandarum quaestionum tum vitam horum Institutorum juridicam pertinentium tum disciplinam organizationis ac formationis, aut statuendarum practicarum viarum quae ad assequutionem finium universalium ducere possint.

Ceteroquin non ambigendum, perfectionis Status, publicos aut

ab Ecclesiae legitime recognitos, posse de facili turbari aut interdici, si ad eorum structuram juridicam constitutionalem quod attinet, et ad eorum internum disciplinare emolumentum quod spectat, (relate ad consequutionem finium apostolicorum), influxui evolutionis processum doctrinalium problematum, ac ductui practicarum directionum subsint, qui constituti non sint, aut praevia ratione moderati, ab illa Romanae Curiae Congregatione, cui horum Statuum tutela ac supremum pertinet regimen.

Demum, non praeterundum, juridicam competentiam Sacrae Congregationi de Religiosis a Codice concreditam — eodem sane modo ac pro ceteris Romanae Curiae Dicasteriis — simul ac Magisterium publicum et specificum inde profluens, peculiarem supponere technicam competentiam, generalem quoque profundam informationem, quae necessarium fundamentum cuiuslibet gubernii constituunt, quaeque perdifficile, ne dicam impossibile, ibi invenirentur ubi organon opportune atque apprime pro ipsis constitutum non esset.

8. Quibus profecto juridicis considerationibus alias etiam, et tunc practicas addere quoque juvat, quae iterum prudentiam, opportunitatem huius dispositionis plane commonstrent:

Omnibus notum est has coetuum formas pro idearum commercio atque experientiarum, quae nostri temporis, diversis concurrentibus causis, (modernis equidem omnibus) extant singulare institutum, admodum raro, in ordine scholarum pure theoretico tantummodo fieri, verum, ex ipsa vi rerum, plus minus directe — modo dixerim necessarie — ad gubernium et ad praxim ordinari plerumque.

Idcirco, si habeantur, coetus isti, debitis cautelis ac securitatibus muniti, item necessaria moderatione firmati, itemque definitis ductibus atque determinatis — ex supremo dimanantibus responsabili competentique Dicasterio — abs dubio efficacia totalis renovationis ac coordinationis instrumenta evadere possint; secus, deficientibus securitatibus istis, coetus praedicti, de facili fieri possunt occasio divisionis et discordiae, obscurationis et confusionis idearum aut doctrinalium aberrationum, una cum perturbatione sive internae disciplinae sive operum apostolatus Institutorum participantium, ex quibus omnibus turbidi generantur motus qui non sufficienter possunt ad realizationes manuduci concretas, ex quo demum plerumque sequitur eos perniciosos esse, molestos.

9. Hae porro considerationes completa ratione nos docent cur, Sancta Sedes (Sacra Congregatio de Religiosis) velit, ante conces-

sionem harum permissionum, semet certiorem facere tum de doctrina, tum de opportunitate discutiendarum rerum, demum de competentia ac experientia sive eorum qui praesunt sive eorum qui quoquo modo propria participatione conveniunt.

Praefecto opportunitas copiosae et minutae informationis quae requiritur ad judicandum de hoc genere coetuum instituendo, necnon de concedenda permissione, clare sane constat, si prae oculis habeantur, et praesentis rei delicata natura, et harum argumentorum difficultas commixta, simul ac quae possunt inde oriri fere infinitae sequelae, una cum incommodis omnibus quae ex hoc genere rerum accidere solent.

Doctrina statuum perfectionis facilis sane non est; dum theologiae quoque plerumque provinciam ingreditur, similiter et asceticae jurisque canonici, sive generalis, sive particularis.

Verum, argumenta etiam, quaestiones, adsunt, de quibus, parum dari possit opportunitatis, in illa sede discutiendi; item elementa concreta (it.-dati) ac relationes quae, nisi prius intercederetur prudentia, manifestari publice non possent, quae tamen, experientia teste, necessario quodam modo publici juris profecto fierent; quocirca, debita quoque ratione, ea omnia mature sunt perpendenda, quae organizationem spectent et ordinem gerendarum rerum.

Magni quidem momenti est illarum personarum electio, quibus concedatur coetibus praesidere, aut eorumdem coetuum Commissionibus praeesse; quod asservandum quoque censemus in deputandis oratoribus ad argumenta selecta.

Quocirca, peropportunum plerumque erit, ex aequo, repraesentari manus ac vires omnes, quae aciem Statuum perfectionis componunt. Item, sive ex iure generali, sive ex iure particulari, desumptae rationes, vel adeo simplicis opportunitatis rationes, exigere possent quandoquidem, aut imponere ut, certis locis ac circumstantiis, vel quaedam vel omnia saecularia Instituta, simul non convocentur cum Religiosis Institutis, quod vicissim est sane affirmandum relate ad Instituta religiosorum.

Igitur necessarium semper erit, pertractari argumenta, ab illis qui peculiarem ac specificam competentiam detinent, etsi perdifficile quis eam possidebit, cum totam amplam provinciam statuum perfectionis invadere conspiciatur. Sufficiat, exempli gratia, de aequivocationibus parum cogitare atque confusionibus, quae exortae sunt ultimis hisce temporibus, circa conceptum proprii Institutorum saecularium status, ac circa conditionem juridicam sodalium eorumdem Institutorum, quatenus liceat de sapientia opportunitate-

que praesentis dispositionis gratias referre, quod problemata, difficultates, incongruentias funditus solvat.

Quamobrem, certo patet, has circumstantias omnes, omnesque perpendere conditiones concretas atque dijudicare, unius S. Congregationis esse ad quam Sedes Apost. commisit regimem statuum perfectionis, cum ipsae eaedem circumstantiae proxime et immediate connectantur cum gubernio et tutela statuum perfectionis et cum eorumdem publico ac specifico magisterio.

10. Numerus autem 2 Decreti, quem ad proceduram pertinere diximus, formas ac conditiones determinat quibus ad S. Congr. de Religiosis recurrendum est.

Sane, munus recurrendi ad eos legitime spectat quibus etiam convocatio et moderatio horum coetuum profecto committitur. Clare quoque edicitur ipsos debere quam citius recurrere, hac nimirum ratione qua fieri possit ut Sacrum Dicasterium, omnibus rite perpensis quae ordinem agendarum rerum spectant, opportunas emendationes, opportunaque commodare queat consilia, dum etiam reliquum informationum colligere potest siquidem hoc aequum esse videatur.

Idcirco ita efficiendum ut corroboretur permissionis petitio informationibus omnibus et necessariis documentationis, adeo ut Sacra Congregatio suum praevium examen instituere possit: nam n. 2 elenchum tangit argumentorum quae pertractanda sunt et nomina eorum qui eadem argumenta forte disceptent.

Plane censendum, nullo sane modo, ad coetuum convocationem et ad missionem invitationum procedi posse, quoadusque Sacra Congregatio non dederit suam permissionem, suam approbationem programmatis.

Porro praeter hanc S. C. praeviam interventionem, aliam quoque novimus secundam extare, quae, praecise post coetuum conclusionem Actorum antecedit publicam editionem.

Praesidentis est iterum ad S. C. recurrere ut de pertractatis quaestionibus reddat rationem, de discussionibus habitis, de conclusionibus actis.

Donec Sacra Congregatio hoc secundum examem, hanc secundam recognitionem, compleverit, item donec approbata documenta remiserit, nec ad Actorum publicationem, nec ad conclusionum executionem, integrum erit procedere.

11. N. 3 Decreti, de Foederationibus ac de Consiliis Superiorum Maiorum decernit.

Primum tenendum has omnes morales personas ab Ap. Sede rite approbatas, statutis propriis ac commissionibus adnexis, non constituere, ne quidem constituere posse, organismum gubernii; siquidem agitur de liberis associationibus quae munera studii, munera consilii, adeo obeunt, quod in commodum generale diversorum statuum perfectionis cedere possint, quaeque, data occasione, apud Auctoritates civiles et ecclesiasticas repraesentationis quoque officia praevertere possunt.

Ut supra, in commentario ad n. 1, dictum est, isti organismi, ad effectus de quibus in Decreto, status perfectionis convocare nullatenus possunt; quae ita statuuntur, sive attenta extensione secundum quam proponitur dispositio a S. Sede emanata, sive ipsa item natura perspecta personarum moralium quae ad mutuum adiutorium tendunt mutuumque emolumentum, cum libertate voluntaria donentur relate ad singula Instituta.

Cum autem naturam et activitatem horum organismorum detexerimus una cum interdictione n. 1 quae easdem continere probavimus, perspicue patet quo modo opera eorum utilis evadere possit, dum et trames potest considerari in rebus cum S. Sede pertractandis, et proxima fons eorum comparationum, collationum, eorumque consiliorum et argumentorum quae idoneum judicium valent efformare de proibitate personarum quibus et facultas conceditur coetibus participandi, et potestas committitur quaestiones in iisdem coetibus dilucidandi.

12. In n. 4 et ultimo Decreti, sermo fit de potestate quam habent Exc.mi Ordinarii, illorum statuum perfectionis sodales convocandi, qui domum in dioecesi possideant aut concreditum sibi ministerium perficiant.

Quorum demum coetuum finis et limites iterum ab ipso Decreto statuuntur. Nam in dictis coetibus Exc.mus Ordinarius examinat, paterno modo de iis omnibus cum sodalibus statuum perfectionis discurrit, eisdemque ea omnia communicat quae attinent aut attinere possunt ministerium seu apostolatum ab ipsis praestitum, singillatim quatenus in finibus dioecesis praestatur.

Decretum profecto hos coetus adeo laudat, eos ideo commendat quod videt in ipsis congruum medium tum ad manifestandam corroborandamque unionem status perfectionis inter ac Ordinarium, dioeceseos Patrem atque Pastorem, tum ad diversa apostolatus opera, promovenda, dirigenda, efficaciter preferenda.

Hi sane coetus ab Exc.mis Ordinariis convocatis non vitam internam, non juridicam Institutorum conditionem respiciunt, nec

sodalium educationem aut formationem, sed apostolatum tantum; apostolatum, inquam, praecise quatenus ab ipsis Institutis in ambitu dioecesis praestitum novimus.

Quo fit ut haec S. Sedis dispositio novum argumentum nobis praebeat de modo quo S. Congr. de Religiosis vult, diversos status perfectionis, etsi exemptos, efficaci tamen ac sanctificanti Exc.morum Ordinariorum moderationi esse subiectos in his omnibus quae dioecesanum apostolatum spectare videntur. Quocirca recta potest ratione affirmari, conceptum exemptionis, quoad adspectum externum et dioecesanum aut localem apostolatus Institutorum, in actualibus S. Congr. de Religiosis doctrina et praxi, involutionem pati.

Hoc, vigilanti cura contenditur, ut docili successu in manibus Ordinarii ponantur vires vivae omnes in dioecesi existentes, ex quolibet clero dimanantes, hac quidem de causa ut in lucta, in pugna, quae in territorio dioecesis hinc inde dimicatur, contenditur, eaedem possint funditus immisceri.

Demum sapiens haec dispositio affirmat, confirmat, sanum extare talem in statibus perfectionis necessarium universalismum, qui urgendus est, intelligendus est, et reverendus; similiter docet in statibus perfectionis, extare quoque localismum, qui pari ratione, definiendus est, itemque opportunis mediis roborandus. In adspectu universali Status perfectionis a S. Sede pendent, in adspectu locali Ordinariis subsunt.

Quibus omnibus fit ut, si littera huius Decreti, si spiritus, recta mente concipiantur, quo melius inde, docilius ad usque praxim apprime deducantur, Status perfectionis itidem interius exteriusque adeo corroborentur, ut abundantioribus in dies fructibus in bonum Ecclesiae, in bonum animarum fluere possint.

Romae, die 26 junii 1956.

Sac. Salvator Canals

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

DECRETUM GENERALE

LITURGICUS HEBDOMADAE SANCTAE ORDO INSTAURATUR

Maxima redemptionis nostrae mysteria, passionis nempe, mortis et resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, ab apostolica inde aetate singulari prorsus recordatione celebrare quotannis studuit sancta Mater Ecclesia. Summa in primis eorundem mysteriorum momenta peculiari triduo recolebantur, Christi scilicet « crucifixi, sepulti, suscitati » [1]; mox institutionis sanctissimae Eucharistiae solemnis memoria addita fuit; ac demum, dominica quae passionem proxime antecedit, liturgica accessit celebratio triumphalis Domini nostri Regis messianici ingressus in sanctam civitatem; peculiaris exinde liturgica hebdomada exorta est, quae, ob excellentiam mysteriorum celebratorum, et sancta appellata et amplissimis piissimisque ritibus ditata fuit.

Hi autem ritus iisdem hebdomadae diebus iisdemque dierum horis initio celebrabatur quibus sacrosancta mysteria contigerunt. Institutio itaque sanctissimae Eucharistiae feria quinta, vespere, recolebatur, solemni Missa in Cena Domini; feria autem sexta peculiaris actio liturgica de passione et morte Domini horis postmeridianis celebrabatur; denique vespere sabbati sancti solemnis inchoabatur vigilia, quae mane sequenti in gaudio resurrectionis finem habebat.

Media autem aetate, tempus agendae liturgiae his diebus, variis in id concurrentibus causis, ita anticipari coeptum est, ut, eadem media aetate ad finem vergente, omnes liturgicae illae solemnitates ad horas usque matutinas antepositae fuerint, profecto non sine detrimento liturgici sensus, nec sine confusione inter evangelicas narrationes et ad eas pertinentes liturgicas repraesentationes. Solemnis praesertim paschalis vigiliae liturgia, a propria nocturna sede avulsa, nativam perspicuitatem ac verborum et symbolorum sensum amisit. Praeterea sabbati sancti dies, praecoci paschali

[1] *S. Augustinus*, Ep. 55, 14; Corp. Script. Eccl. Lat. 34, 2, p. 195.

gaudio invasus, propriam indolem perdidit luctuosam memoriae dominicae sepulturae.

Recentiore porro aetate alia denique accessit rerum mutatio eademque sub aspectu pastorali gravissima. Etenim, feria quinta, sexta et sabbatum sanctae hebdomadae per plura saecula inter dies festivos connumerabantur, eo sane consilio, ut cunctus populus christianus, a servilibus operibus expeditus, sacris horum dierum caerimoniis interesse posset; at saeculo decimo septimo currente ipsi Romani Pontifices, ob condiciones vitae socialis prorsus immutatas, dierum festivorum numerum imminuere adacti sunt. Urbanus itaque VIII, Constitutione apostolica « Universa per orbem », diei 24 Septembris anni 1642, sacrum quoque hebdomadae sanctae triduum, non amplius inter festivos, sed inter feriales dies recensere coactus est.

Exinde vero fidelium ad sacros hos ritus frequentia necessario decrevit, ea praesertim de causa, quod eorum celebratio iam diu ad horas matutinas anteposita fuerat, quando scilicet scholae, opificia et publica cuiusque generis negotia, ubique terrarum, diebus ferialibus peragi solent et peraguntur. Communis reapse et quasi universalis experientia docet, solemnes gravesque has sacri tridui liturgicas actiones a clericis peragi solere, ecclesiarum aulis saepe quasi desertis.

Quod sane valde est dolendum. Etenim sacrosanctae hebdomadae liturgici ritus, non solum singulari dignitate, sed et peculiari sacramentali ritus, non solum singulari dignitate, sed et peculiari sacramentali vi et efficacia pollent ad christianam vitam alendam, nec aequam obtinere possunt compensationem per pia illa devotionum exercitia, quae extraliturgica appellari solent, quaeque sacro triduo horis postmeridianis absolvuntur.

His de causis viri in re liturgica peritissimi, sacerdotes curam animarum gerentes, et in primis ipsi Excellentissimi Antistites, recentioribus annis enixas ad Sanctam Sedem preces detulerunt, postulantes, ut liturgicae sacri tridui actiones, ad horas, ut olim, postmeridianas revocarentur, eo sane consilio, ut omnes fideles facilius iisdem ritibus interesse possint.

Re autem mature perpensa, Summus Pontifex Pius XII, anno iam 1951, sacrae paschalis vigiliae liturgiam instauravit, ad nutum interim Ordinariorum et ad experimentum peragendam.

Cum porro huiusmodi experimentum optimum universe habuerit successum, prout Ordinarii quamplures Sanctae Sedi retulerunt,

cumque iidem Ordinarii petitiones iterare non omiserint, poscentes, ut sicut pro vigilia paschali, ita etiam pro aliis sanctae hebdomadae diebus similis fieret liturgica instauratio, sacris functionibus ad horas vespertinas restitutis, attento denique quod Missae vespertinae, per Constitutionem apostolicam « Christus Dominus » diei 6 Ianuarii anni 1953 praevisae, frequentiore adstante populo ubicumque celebrantur; his omnibus prae oculis habitis, Ss.mus D. N. Pius Papa XII mandavit ut Commissio instaurandae liturgiae, ab eodem Ss.mo Domino constituta, quaestionem hanc de Ordine hebdomadae sanctae instaurando examinaret et conclusionem proponeret. Qua obtenta, eadem Sanctitas Sua decrevit ut, pro rei gravitate, tota quaestio peculiari examini subiceretur Eminentissimorum Patrum Sacrae Rituum Congregationis.

Eminentissimi autem Patres, in Congregatione extarordinaria diei 19 iulii currentis anni, ad aedes Vaticanas coadunati, re mature perpensa, unanimi suffragio Ordinem hebdomadae sanctae instauratum approbandum et praescribendum censuerunt, si Ss.mo Domino placuerit.

Quibus omnibus Ss.mo Domino Nostro ab infrascripto Cardinali Praefecto per singula relatis, Sanctitas Sua ea, quae iidem Eminentissimi Cardinales deliberaverant, approbare dignata est.

Quapropter, de speciali mandato eiusdem Ss.mi D. N. Pii divina Providentia Papae XII, Sacra Rituum Congregatio ea quae sequuntur statuit:

I - Instauratus Ordo hebdomadae sanctae praescribitur

1. Qui ritum romanum sequuntur, in posterum servare tenentur Ordinem hebdomadae sanctae instauratum, in editione typica Vaticana descriptum. Qui alios ritus latinos sequuntur, tenentur tantummodo servare tempus celebrationum liturgicarum in novo Ordine statutum.

2. Novus hic Ordo servari debet a die 25 Martii, dominica II Passionis seu in palmis, anni 1956.

3. Per totam hebdomadam sanctam nulla admittitur commemoratio, et in Missa prohibentur quoque collectae, quolibet titulo imperatae.

II - De hora competenti

qua sacra Liturgia hebdomadae sanctae celebranda est

De officio divino

4. Dominica II Passionis seu in palmis, feria II, III et IV hebdomadae sanctae, officium divinum horis consuetis persolvitur.

5. In triduo sacro, id est: feria V in Cena Domini, feria VI in Passione et Morte Domini, et sabbato sancto, si officium peragatur *in choro*, vel *in communi*, haec serventur:

Matutinum et Laudes non anticipantur de sero, sed dicuntur mane, hora competenti. In ecclesiis tamen, ubi feria V in Cena Domini Missa chrismatis mane celebretur, Matutinum et Laudes eiusdem feriae V anticipari possunt de sero.

Horae minores dicuntur hora competenti.

Vesperae feria V et VI omittuntur, cum earum locum teneant functiones liturgicae principales horum dierum. Sabbato sancto vero dicuntur post meridiem, hora consueta.

Completorium feria V et VI dicitur post functiones liturgicas vespertinas; sabbato sancto omittitur.

In privata recitatione, his tribus diebus, omnes horae canonicae dici debent, iuxta rubricas.

De Missa vel actione liturgica principali

6. Dominica II Passionis solemnis benedictio et processio ramorum fiunt mane, hora consueta; in choro autem post Tertiam.

7. Feria V in Cena Domini, Missa chrismatis celebratur post Tertiam. Missa autem in Cena Domini celebranda est vespere, hora magis opportuna, non autem ante horam quintam post meridiem, nec post horam octavam.

8. Feria VI in Passione et Morte Domini solemnis actio liturgica celebratur horis postmeridianis, et quidem circa horam tertiam; si vero ratio pastoralis id suadeat, licet tardiorem seligere horam, non autem ultra horam sextam.

9. Solemnis paschalis vigilia celebranda est hora competenti, ea scilicet, quae permittat Missam solemnem eiusdem vigiliae incipere circa mediam noctem inter sabbatum sanctum et dominicam Resurrectionis.

Ubi tamen, ponderatis fidelium et locorum condicionibus, de iudicio Ordinarii loci, horam celebrandae vigiliae anticipari conveniat, haec non inchoetur ante diei crepusculum, aut certe non ante solis occasum.

III - De abstinentia et ieiunio quadragesimali ad mediam noctem sabbati sancti protrahendis

10. Abstinentia et ieiunium tempore quadragesimae praescriptum, quod hucusque, iuxta can. 1252 § 4, sabbato sancto cessabat post meridiem, in posterum cessabit media nocte eiusdem sabbati sancti.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Die 16 Novembris anni 1955.

C. Card. Cicognani, *Praefectus*

L. + S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *a secretis*

(*A.A.S.*, vol. 47, pag. 838-841).

II°

INSTRUCTIO

DE ORDINE HEBDOMADAE SANCTAE INSTAURATO RITE PERAGENDO

Cum propositum instaurati Ordinis hebdomadae sanctae eo spectet, ut veneranda liturgia horum dierum, horis propriis simulque opportunis restituta, a fidelibus facilius, devotius ac fructuosius frequentari possit, permagni interest, ut idem salutare propositum ad optatum exitum deducatur.

Propterea Sacrae huic Rituum Congregationi opportunum visum est, generali decreto de instaurato Ordine hebdomadae sanctae *Instructionem* addere, qua et transitus ad novum ordinem facilior reddatur, et fideles ad uberiores fructus ex viva participatione sacrarum caerimoniarum percipiendos securius ducantur.

Omnibus itaque quorum interest huius *Instructionis* cognitio et observantia iniungitur.

I - De praeparatione pastorali et rituali

1. Locorum Ordinarii sedulo provideant, ut sacerdotes, praesertim qui curam animarum gerunt, bene sint edocti, non solum de rituali celebratione instaurati Ordinis hebdomadae sanctae, verum etiam de eius liturgico sensu ac pastorali proposito.

Curent praeterea ut etiam fideles, sacro quadragesimali tempore, aptius instruantur ad instauratum hebdomadae sanctae Ordinem rite intelligendum, ita ut eiusdem celebrationis mente et animo participes fiant.

2. Praecipua autem capita instructionis populo christiano tradendae haec sunt:

a) *Pro dominica II Passionis, quae « in palmis » vocatur*

Invitentur fideles ut frequentiores ad solemnem processionem palmarum conveniant, Christo Regi publicum testimonium amoris et gratitudinis reddituri.

Moneantur porro fideles ut tempestive, currente sancta hebdomada, ad sacramentum paenitentiae accedant; quae quidem monitio illic praesertim urgenda est, ubi consuetudo invaluit ut fideles vespere sabbati sancti et mane dominicae Resurrectionis quasi catervatim ad sacrum tribunal conveniant. Studeant igitur animarum curatores ut per totam sanctam hebdomadam, praesertim vero sacro triduo, fidelibus facilis occasio praebeatur ad sacramentum paenitentiae accedendi.

b) *Pro feria V in Cena Domini*

Erudiantur fideles de amore quo Christus Dominus, « pridie quam pateretur », sacrosanctam instituit Eucharistiam, sacrificium et sacramentum, Passionis suae memoriale perpetuum, sacerdotum ministerio perenniter celebrandum.

Invitentur quoque fideles, ut post Missam in Cena Domini, debitam augustissimo Sacramento adorationem reddant.

Ubi demum pedum lotio, ad mandatum Domini de amore fraterno demostrandum, secundum Ordinis instaurati rubricas in ecclesia peragitur, edoceantur fideles de profunda huius sacri ritus significatione, ac de opportunitate ut ipsi hoc die christianae caritatis operibus abundent.

c) *Pro feria VI in Passione et Morte Domini*

Disponantur fideles ad rectam intelligentiam singularis actionis liturgicae huius diei, in qua, post Lectiones sacras et preces, Passio Domini nostri solemniter decantatur; orationes pro totius Ecclesiae et generis humani necessitatibus offeruntur; deinde a familia christiana, clero et populo, sancta Crux, nostrae redemptionis trophaeum, devotissime adoratur; postremo, iuxta instaurati Ordinis rubricas et sicut mos fuit per multa saecula, omnes qui id cupiunt et rite parati sunt, ad sacram quoque communionem accedere possunt, ea potissimum mente, ut corpus Domini, pro omnibus hoc die traditum, devote sumentes, uberiores redemptionis fructus percipiant.

Instent porro sacerdotes ut fideles hoc sacratissimo die piam servent mentis recollectionem, nec legem obliviscantur abstinentiae et ieiunii.

d) *Pro sabbato sancto et vigilia paschali*

Oportet in primis, ut fideles de peculiari natura liturgica sabbati sancti diligenter edoceantur. Est autem dies summi luctus, quo Ecclesia ad sepulcrum Domini immoratur, passionem eius et mortem meditando; a sacrificio Missae, sacra mensa denudata, abstinendo; usque dum, post solemnem vigiliam seu nocturnam Resurrectionis exspectationem, locus detur gaudiis paschalibus, quorum abundantia in sequentes dies exundat.

Huius vero vigiliae propositum et finis in eo est, ut liturgica actione demonstretur et recolatur, quomodo ex morte Domini nostra promanaverit vita, et gratia. Itaque sub cerei paschali signo ipse Dominus « lux mundi » [1] proponitur, qui peccatorum nostrorum tenebras, gratia suae lucis, profligavit; paschale praeconium profertur, quo splendor sanctae noctis Resurrectionis decantatur; memorantur Dei magnalia in antiquo foedere peracta, mirabilium Novi Testamenti pallentes imagines; aquabaptismalis benedicitur, in qua, « consepulti cum Christo » in mortem peccati, cum eodem Christo resurgimus, ut « in novitate vitae ambulemus » [2]; hanc denique gratiam, quam Christus nobis promeruit et in baptismate contulit, renovatis eiusdem baptismatis promissionibus, vita mori

---

[1] Ioan. 8, 12.
[2] *Rom.* 6, 4.

busque coram omnibus testificari pollicemur; postremo, implorato triumphantis Ecclesiae interventu, sacra vigilia solemni Resurrectionis Missa terminatur.

3. Nec minus necessaria est praeparatio ritualis sacrarum caerimoniarum hebdomadae sanctae.

Quapropter ea omnia, quae ad piam ac decoram celebrationem liturgicam huius sanctissimae hebdomadae occurrunt, sollicite paranda et ordinanda sunt; sacri praeterea ministri ceterique ministrantes, sive clerici sive laici, potissimum si pueri sint, iis quae ab ipsis peragenda erunt, sedulo instituantur.

II - Adnotationes ad quasdam rubricas Ordinis hebdomadae sanctae

a) *Pro universa hebdomada sancta*

4. Ubi copia habeatur sacrorum ministrorum, sacrae functiones hebdomadae sanctae cum omni splendore sacrorum rituum peragantur. Ubi vero sacri ministri desint, adhibeatur ritus simplex, servatis rubricis peculiaribus, ut suis locis notatur.

5. In Ordine hebdomadae sanctae instaurato, quotiescumque dicitur: « ut in Breviario romano », omnia desumenda sunt ex praedicto libro liturgico, servatis autem normis, per decretum generale S. Rituum Congregationis « De rubricis ad simpliciorem formam redigendis », diei 23 Martii anni 1955, statutis.

6. Per totam hebdomadam sanctam, id est a dominica II Passionis seu in palmis usque ad Missam vigiliae paschalis inclusive, in Missa (et feria VI in solemni actione liturgica), si solemniter celebratur, scilicet cum ministris sacris, ea omnia, quae diaconus vel subdiaconus aut lector, vi proprii officii cantant vel legunt, a celebrante omittuntur.

b) *Pro dominica II Passionis seu in palmis*

7. In benedictione et processione adhibeantur rami palmarum seu olivarum, vel aliarum arborum. Hi rami, secundum locorum varios usus, vel ab ipsis fidelibus parantur et in ecclesiam afferuntur; vel, benedictione peracta, fidelibus distribuuntur.

c) *Pro feria V in Cena Domini*

8. Pro solemni Sacramenti repositione paretur locus aptus in aliquo sacello vel altari ecclesiae, sicut in Missali romano praescri-

bitur, et decenter quoad fieri potest, ornetur velis et luminaribus.

9. Servatis Sacrae Rituum Congregationis decretis de vitandis vel tollendis abusibus in hoc loco parando, plane commendatur severitas quae liturgiae horum dierum convenit.

10. Parochi vel ecclesiarum rectores tempestive moneant fideles de publica adoratione sanctissimae Eucharistiae, inde ab expleta Missa in Cena Domini instituenda, et protrahenda saltem usque ad mediam noctem, quando scilicet liturgicae recordationi institutionis sanctissimae Eucharistiae succedit memoria passionis et mortis Domini.

d) *Pro vigilia paschali*

11. Nihil impedit quominus signa, in cereo paschali a celebrante stilo incidenda, coloribus vel alio modo antea praeparentur.

12. Convenit, ut candelae, quas clerus et populus gestant, accensae maneant, dum praeconium paschale canitur, et dum renovatio promissionum baptismatis peragitur.

13. Vas aquae benedicendae convenienter ornari decet.

14. Si aderunt baptizandi, praesertim si plures sint, permittitur caerimonias Ritualis romani, quae ipsam baptismi collationem praecedunt, id est, in baptismate infantium usque ad verba « Credis in Deum ». [3] et in baptismate adultorum usque ad verba « Quis vocaris? » [4], eodem mane, tempore opportuno, praemittere.

15. Si contingat in hac solemni vigilia sacras quoque Ordinationes conferri, Pontifex ultimam admonitionem (cum impositione sic dicti « pensi », quae iuxta Pontificale romanum post benedictionem pontificalem et ante ultimum Evangelium locum habet, hac nocte eidem benedictioni pontificali praemittat.

16. In vigilia Pentecostes, omissis Lectionibus seu Prophetiis, et aquae baptismalis benedictione ac litaniis, Missa etiam conventualis, vel solemnis aut cantata, incipitur more solito, facta ad gradus altaris confessione, ab introitu « Cum sanctificátus fúero » ut in Missali romano ibidem pro Missis privatis ponitur.

III - De Missa, sacra communione et ieiunio eucharistico in triduo sacro.

17. Feria V in Cena Domini, antiquissima romanae Ecclesiae servanda est traditio, qua, privatarum Missarum celebratione in-

[3] *Rituale romanum*, tit. II, n. 17.

[4] *Rituale romanum*, tit. II, cap. IV, n. 38.

terdicta, omnes sacerdotes omnesque clerici, sacris in Cena Domini intersint, quos expedit ad sacram mensam accedere [5].

Ubi vero ratio pastoralis id postulet, loci Ordinarius unam alteramve Missam lectam in singulis ecclesiis vel oratoriis publicis permittere poterit; in oratoriis autem semipublicis unam tantum Missam lectam; ea quidem de causa, ut omnes fideles hoc sacro die Missae sacrificio interesse et corpus Christi sumere possint. Hae autem Missae inter easdem diei horas permittuntur, quae pro Missa solemni in Cena Domini assignatae sunt [6].

18. Eadem feria V in Cena Domini, sacra communio fidelibus distribui potest tantummodo inter Missas vespertinas, vel continuo ac statim ab iis expletis; item sabbato sancto dari potest tantummodo inter Missarum solemnia, vel continuo ac statim ab iis expletis; exceptis infirmis in periculo mortis constitutis.

19. Feria VI in Passione et Morte Domini, sacra communio distribui potest unice inter solemnem actionem liturgicam postmeridianam, exceptis item infirmis in periculo mortis constitutis.

20. Sacerdotes, qui Missam solemnem vigiliae paschalis hora propria celebrant, id est post mediam noctem quae intercedit inter sabbatum et dominicam, possunt ipso dominico die Resurrectionis Missam festivam celebrare, atque etiam, si indultum habeatur, bis aut ter.

21. Locorum Ordinarii, qui feria V in Cena Domini, Missam chrismatis mane celebraverint, possunt vespere Missam quoque solemnem in Cena Domini litare; verum sabbato sancto, si vigiliam solemnem paschalem celebrare voluerint, possunt, sed non tenentur, Missam solemnem ipso die dominicae Resurrectionis litare.

22. Quoad ieiunium eucharisticum serventur normae in Constitutione apostolica « Christus Dominus » et in adnexa « Instructione » Supremae S. Congregationis S. Officii, diei 6 Ianuarii anni 1953, traditae.

IV - De quibusdam difficultatibus componendis

23. Cum pro diversitate locorum et gentium plures numerentur populares consuetudines, hebdomadae sanctae celebrationi con

---

[5] Cfr. can. 862.

[6] *Decretum*, II, 7.

nexae, studeant locorum Ordinarii et sacerdotes curam animarum gerentes, ut consuetudines huiusmodi, quae solidam pietatem fovere videantur, cum instaurato Ordine hebdomadae sanctae prudenter componantur. Edoceantur porro fideles de summo valore sacrae Liturgiae, quae semper, et his praesertim diebus, ceteras devotionis species et consuetudines, quamvis optimas, natura sua longe praecellit.

24. Ubi mos hucusque viguit domos benedicendi ipso sabbati sancti die, locorum Ordinarii congruas edant dispositiones, ut haec benedictio opportuniore tempore, ante vel post Paschatis festum, a parochis, vel ab aliis sacerdotibus animarum curam gerentibus ab ipsis delegatis, peragatur, qui, hanc nacti occasionem, fideles sibi commissos paterne invisent, ac de eorum statu spirituali certiores se reddant [7].

25. Campanarum pulsatio, in Missa vigiliae paschalis, ad initium hymni Gloria in excélsis praescripta, hoc modo fiat.

a) In locis, in quibus una tantum habetur ecclesia, campanae pulsentur hora, qua dicti hymni incipit cantus.

b) In locis autem, ubi plures ecclesiae exstant, sive in omnibus eodem tempore sacrae caerimoniae peragantur, sive tempore diverso, campanae omnium ecclesiarum eiusdem loci pulsentur una cum campanis ecclesiae cathedralis, vel matricis aut principalis In dubio quaenam ecclesia in loco sit matrix aut principalis, adeatur Ordinarius loci.

Die 16 Novembris anni 1955.

C. Card. Cicognani, *Praefectus*

L. + S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *a secretis*

(*A.A.S.*, vol. 47, pag. 842-847).

ADNOTATIONES

Promulgatio Decreti quo liturgicus hebdomadae sanctae Ordo instauratur admiratione neminem certe affecit, cum ab omnibus expectaretur, qui liturgicis studiis et animarum curae operam dant, ut logicum et necessarium complementum instaurationis vigiliae paschalis, iam anno 1951 evulgatae.

---

[7] Can. 462, n. 6.

Documenta quae liturgicam instaurationem Ordinis hebdomadae sanctae spectant sunt:

a) *Decretum* « Maxima Redemptionis nostrae mysteria » et adnexa *Instructio* S. R. C. diei 16 novembris anni 1955, die 27 eiusdem mensis in diario *L'Osservatore Romano* evulgata et deinde, die 23 decembris eiusdem anni, in commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis* edita.

b) *Ordo hebdomadae sanctae instauratus*, iuxta editionem typicam Vaticanam, per decretum eiusdem S. R. C. diei 30 novembris evulgatus.

c) *Declaratio* a S. R. C. die 15 martii anni 1956 data, circa functiones « Tridui sacri » secundum Ordinem hebdomadae sanctae instauratum, prius in diario *L'Osservatore romano* edita, deinde, die 24 martii in commentario officiali relata.

d) Demum *Variationes et Additiones pro hebdomada sancta in Missali romano inserendae*, quae continent aliquas variationes in rubricis Ordinis instaurati faciendas ut Missali romano inseri valeant, quin Decretum et Instructio ex integro afferri necesse sit; et *Additiones et Variationes iuxta Ordinem hebdomadae sanctae instauratum et decretum generale de rubricis ad simpliciorem formam redigendis, in rubricas Breviarii romani inducendae*, quae continent accommodationes faciendas in proximis editionibus Breviarii romani, cum facultate inducendi, pro hebdomada sancta et octava Paschatis, praesertim si excerpta fiant in commodum recitantium, etiam simplificationes per decretum diei 23 martii anni 1955 praevisas.

Haec documenta opus perficiunt anno 1951 a Summo Pontifice Pio XII f. r. sapienter inceptum, et vota eorum omnium complent qui sacros ritus hebdomadae sanctae cupiebant magis consonos necessitatibus et spiritui nostrae aetatis, ac fidelibus magis accessibiles.

Attamen notare iuvabit momentum huius instaurationis non esse spectandum unice sub aspectu historico, idest sapientis restitutionis in pristinum aedificii liturgici, iis omnibus demptis quae, seriore aetate inducta, lineam primigeniam opprimendo abscondebant; sed potius in sapienti affirmatione principiorum doctrinalium, quae restaurationem regunt, non hebdomadae sanctae tantummodo, sed et totius sacrae liturgiae; necnon in positione principiorum in re disciplinari, quae legibus nunc vigentibus derogando, spiritum novum praeprimis pastoralem, in leges Ecclesiae inducunt.

Propositum harum adnotationum est summatim delineare: a) elementa doctrinalia et pastoralia; b) praecipua capita instaura-

tionis historicae et demum, c) innovationes quae, in re disciplinari, instauratione Ordinis liturgici hebdomadae sanctae inducuntur.

I. Momentum doctrinale et pastorale ordinis liturgici instaurati

Principia doctrinalia et pastoralia breviter primo enucleare liceat, quae opus instaurationis movent ac regunt, quaeque ex momento scatent historicorum eventuum qui in sancta hebdomada commemorantur, et ex momento quod in vita Ecclesiae sacrae actiones horum dierum obtinent.

1. *Pretium quam maximum est mysterii paschalis celebrationi iterum tribuendum, utpote quod centrum occupat cultus christiani, anni ecclesiastici et vitae supernaturalis cuiusque ex fidelibus.*

Passio enim beata et Mors Domini sacrificium constituunt Novae Legis, quod, in Cruce perfecte oblatum, in Eucharistia mirabiliter renovatur et, quoad fructus, applicatur. Mysterium paschale ergo quasi idem est ac sacrificium Crucis et sacrificium eucharisticum, quod, sacrificio laudis per Ecclesiam quotidie completur; et actus supremus est adorationis ab ipsa Deo praestitus, et simul fons sanctificationis ab omnibus per sacramenta attingendae.

Celebratio mysterii paschalis centrum quoque anni ecclesiastici constituit, cum commemoratio beatae Passionis ac Mortis Domini, necnon eius commorationis in sepulcro, et gloriosae resurrectionis primum nucleum sacrarum celebrationum effecerint (triduum passi, sepulti, suscitati) quibus brevi post tempore adiectae sunt commemoratio institutionis Eucharistiae et triumphalis ingressus Domini in sanctam civitatem. Quod nucleum commemorationum schema praebuit ordini liturgico hebdomadario efformando. Sed, etsi aspectus historicus relinquitur, hebdomada sancta, et in ea praesertim triduum sacrum, summum constituit totius anni ecclesiastici, cum vertex sit omnium commemorationum et omnium mysteriorum, et circa illam moveatur universus annus liturgicus cum suis temporibus et festivitatibus, ita ut sollemnitas paschalis sit terminus ad quem et a quo pro pietate et vita supernaturali fidelium.

Et, sicut pro universa Ecclesia, ita et pro unoquoque ex fidelibus, mysterium paschale centrum occupat vitae supernaturalis. A beata enim Christi Passione omnes gratiae dimanant sanctificationis et perseverantiae. Eucharistia hanc vitam supernaturalem nutrit et alit, auget et perficit. Christi demum resurrectio est typus et pignus resurrectionis spiritualis et resurrectionis futurae. Mos insuper baptismum conferendi in nocte sacratissima Paschatis, ut fideles, cum Christo in undis baptismalibus sepulti, cum ipso, velut e sepulcro, ad novam exsurgant vitam, noctem paschalem veluti

ideale anniversarium baptismatis et spiritualis resurrectionis cuiusque fidelium efficit, dignitate revocata ipsius supernaturalis originis.

2. *Primus locus sacris actionibus liturgicis in mysterio paschali celebrando, prae aliis, quamvis laudabilibus, pietatis exercitiis est tribuendus, ob peculiarem vim sacramentalem quam prae se ferunt.*

Hac in re, quin Decretum quaestionem de cultu officiali et privata, ut aiunt, devotione inter se conciliandis solvere praesumat, et quin pia devotionis exercitia parvipendat, principia tantum in mentem revocat de summo pretio celebrationum cultus officialis Ecclesiae. Id pretium illi derivare dicendum est non ex mera nota iuridica qua, ex auctoritate, aliis piis exercitiis praefertur, sed proprie ex illa « peculiari sacramentali vi et efficacia » quae dimanat ex eo quod est publica inclytae Iesu Christi Sponsae supplicatio, seu ex praesentia ipsius Christi qui in suis mysteriis continenter adest et operatur, et ex vi sacramentali symbolismi, quod fidem excitat et alit. Quae omnia aperte in Litteris encyclicis *Mediator Dei* apertius legi possunt cum, de anno ecclesiastico agendo, directe traditur: « Liturgicus annus, quem Ecclesiae pietas alit ac comitatur, non frigida atque iners earum rerum repraesentatio est, quae ad praeterita tempora pertinent... sed potius est Christus ipse, qui in sua Ecclesia perseverat, quique immensae misericordiae suae iter pergit » et adhuc: « Mysteria (Christi)... praesentia continenter adsunt atque operantur... et eximia sunt christianae perfectionis exempla, et divinae gratiae sunt fontes ». (*Med. Dei*, II pars; cfr. *Acta Ap. Sedis*, 39 [1947] 580).

Attamen, etsi haec doctrinalia argumenta considerare quis noluerit, primae tamen partes liturgicis actionibus tribuere adstringitur, si earum originem, et originem piorum exercitiorum populariumque traditionum indagare satagat. Initio enim sacrae hae liturgicae actiones unicam constituebant commemorationem et celebrationem mysterii paschalis, cui populus intererat, partem activam in ipsa habendo. Successu tantum temporis, cum nempe cultus officialis populi intelligentiae inaccessibilis evasit et gustu extraneus, aliae populares traditiones efformatae sunt, quae eius locum obtinuerunt, et ad illas populus partem activam et intelligibilem habere potuit. Hinc necessitas non eliminandi has traditiones sed eas iterum ad originem ducendi, idest eas liturgiae iterum apponendi et ex eis adiumentum efficiendi quo populus ad liturgiam ducatur, quasi ad fontem et nutrimentum suae vitae religiosae.

3. *Ut peculiaris haec sacramentalis vis et efficacia in animos*

fidelium suum effectum exercere valeat, omnino necesse est ut ipsi fideles in sacris actionibus scienter et active partem habeant.

Huius principii applicatio certe est dicenda totius actionis liturgico-pastoralis aperta approbatio et incitamentum ad ulterius progrediendum. Quanti vero hanc pastoralem actionem S. Sedes faciat, facile quis colligere potest ex principiis et praecipuis capitibus pastoralis instructionis quae in Documentis suggeruntur, et ex peculiari cura qua in Ordine instaurato haec principia applicantur.

Sacerdotes ipsi prius incitantur, immo et obligantur ut, non de rituali tantum celebratione instaurati Ordinis, verum etiam de eius liturgico sensu et pastorali proposito sint edocti; cum ab ipsorum actione primo pendeat copiosus fructus obtinendus. Ubi enim sacerdotes bene intellexerint spiritum instauratae liturgiae Hebdomadae sanctae, facilius et ferventius suos fideles postea docebunt.

Quod praesertim sacro quadragesimali tempore est faciendum, ut fideles, per quadragesimalem catechesim, spiritu renovati, paschale mysterium scienter celebrent et ex eo uberiores fructus percipiant.

Ut autem haec catechetica praeparatio plenior habeatur, S. R. Congregationi curae fuit capita praecipua pro tota sancta Hebdomada et pro singulis ipsius diebus, eorumque singulis ritibus accurate delineare, spiritum et propositum instaurati Ordinis in lucem edendo.

Fructus tamen plenior habebitur si pastorum curae fuerit caeremonias etiam ministrantes, praesertim pueros, accurate edocere; populum ad partem activam habendam, per responsiones et per cantum, praeparando; sicuti et omnia, etiam materialiter, disponendo, ut sacrorum rituum exsequutio devota evadat.

Ipsa quoque S. R. C. hoc munus animarum pastoribus facilius reddere studuit. Postquam enim sacras actiones expeditiores reddiderit et horis magis opportunis assignaverit, partes quoque populi magis activas esse voluit et indicavit.

Ad hoc notare sufficiat indicationes rubricis appositas, quibus responsiones, v. gr., olim scholae aut ministro assignatae, populo, omnibus, nunc tribuuntur. Cantus seliguntur captu faciles, iis omissis qui exsecutione difficiliores evadant; psalmodia antiphonica inducitur, in qua populus partem habere possit per brevem et facilem antiphonam repetitam, scholae versibus psalmi canendis relictis; item in processione cantus populares permittuntur. In actione etiam pars quae symbolismum aperte tradat, quaeque ipsi sit consentanea, populo directe traditur. Memorari ad hoc sufficiat candelae ex cereo benedicto accensionem et ipsius manu gestationem durante

cantu praeconii paschalis et renovatione promissionum baptismalium, quasi in signum immediatae participationis eiusdem luminis per fidem. Et cum partes historicae alicuius ritus obsoleverint, neque amplius fas sit eas repetere, ex novo conduntur aliae illis respondentes, quae ritum compleant significatione et actione, ut factum est de renovatione promissionum baptismatis in vigilia paschali.

Facile elucet ergo cura quam maxime impensa ut populus iterum sacrae liturgiae intellectum capiat, et in ipsa, eam amando, partem activam habeat. Sed ad hoc plene assequendum amor prius et voluntas bona est repetenda pastorum.

II. De instauratione historica ordinis liturgici hebdomadae sanctae

Huiusmodi proposito doctrinali et pastorali, suscepta perfectaque est Ordinis liturgici instauratio historica. Bene tamen animadvertere iuvabit minime illam ductam esse intemperato illo historicismo et archaeologismo qui elementa historica, unice quia historica, consideret; et elementa primigenia, unice quia primigenia prosequatur; sed potius recto illo traditionis sensu, qui traditionem habeat ut quid vivum et vitale, non ut quid immutabile et intangibile.

Harum adnotationum natura de se excludit minutam descriptionem singularum instaurationum quae Ordinem liturgicum afficiunt. Quo autem plenius totius instaurationis momentum appareat, necesse erit capita saltem praecipua in lucem afferre.

Elementum quod universum triduum sacrum afficit est *Horae immutatio* sacris actionibus celebrandis prius assignatae. Omnibus enim constat initio commemorationem eventuum horum dierum non tantum ipsi diei historico affixam fuisse, sed et, in quantum possibile, etiam horis quibus illi idem eventus praesumuntur accidisse. Ita commemoratio Cenae Domini horis vespertinis feriae quintae celebrabatur; memoria Mortis Dominis horis postmeridianis feriae sextae; dum vigiliae paschalis celebrationis propositum erat horas sanctificare quibus Christus, triumphator, e sepulcro surrexit.

Gradatim tamen vigiliarum nocturnarum suppressio, progressiva anticipatio celebrationum vespertinarum ad horas magis opportunas pro unica refectione, poenitentiali tempore concessa; character festivus hebdomadae sanctae et praesertim tridui sacri, necessitatem inducens horas quoque matutinas per sacras actiones sanctificandi; haec, inquam, media aetate, sacra sollemnia horum dierum ad horas usque matutinas perduxerunt.

Ista prima accommodatio, ex rerum socialium exigentiis adveniens, sapiens est dicenda, cum fidelibus facilius reddiderit sacris interesse, etsi elementum historicum minimi fecerit, de se certe non parvipendendum ad historicum eventum recte intelligendum recteque commemorandum. Quae accommodatio in libris liturgicis a S. Pio V, ex decreto s. Concilii Tridentini editis, recepta est.

Illam tamen magis adhuc illogicam reddidit condicio socialis quae feriationem hebdomadae sanctae prius, et tridui sacri postea, abrogandam imposuit (Const. Ap. *Universa per orbem*, ab Urbano VIII die 24 sept. anni 1642 data). Quam tamen abrogationem libri liturgici, septuaginta tantum ante annis editi, numquam ratam habuerunt. Unde factum est ut sacra sollemnia tridui sacri ad primas horas matutinas anteposita sint, quibus adhuc possibile evadebat fidelibus iis interesse antequam quotidiana negotia aggrederentur. At, successu temporis, pietatis fervore tepescente, et lege laboris, sub domino agendi, ingravescente, impossibile evasit negotia quotidiana et sacra sollemnia simul componere: hinc paulatim evenit ut ista sollemnia in aulis ecclesiarum desertis celebrarentur.

Instauratio hodierna primigenias repetit horas, non motivo mere historico, sed pastorali potius, socialis vitae necessitatibus imposito. Cum enim feriationem tridui sacri iterum inducere practice impossibile evadat, horae opportuniores ad sacris interveniendum illae remanent, quae, post quotidiana negotia, ad vesperum cuique liberae tribuuntur: quam horarum selectionem non sapientem tantum dicere quis debebit, sed et illo vivae et vitalis traditionis Ecclesiae sensu inspiratam, quae fidelium necessitatem et progressum, prae aliis considerationibus, ob oculos ponit.

1. *De Dominica II Passionis, seu in palmis.*

a) *Denominatio.* Nomen *Dominica in palmis* locum cedit appellationi, sub aspectu reali et historico, magis praecisae: *Dominica II Passionis, seu in palmis*, quae bina elementa celebrationis complectitur: commemorationem scilicet triumphalis ingressus Domini in sanctam civitatem, et memoriam Passionis. Practice: elementum vere primigenium, orientale (processionem cum ramis, in honorem Christi Regis) elemento traditionali romano (commemorationi Passioni Domini) copulatur.

b) *Commemoratio triumphalis ingressus Domini in sanctam civitatem.* Instaurationis momentum in eo est, quod, singulis sacri ritus partibus debitum locum iterum tribuerit. Primigenium celebrationis elementum, seu processio, locum cesserat, in Missali ro-

mano, ramorum benedictioni, ob momentum symbolismo olivae et virtuti sacramentali rami benedicti praestitum. In Ordine vero instaurato, processio denuo fit elementum centrale: lectio evangelii, quae illam immediate praecedit, sensum praebet; Crux non velata, quae praeit, color purpureus paramentorum, cantus qui illam decorant continue significationem revocant. Pompa etiam externa, qua peragi debet, actum publicum et popularem illam efficit. Ramorum benedictio, e contra, iterum fit elementum praeparatorium, quin tamen amittat pretium virtutis sacramentalis ramo benedicto tribuendum in vita fidelium, in quantum pignus protectionis Domini in periculis et difficultatibus.

c) *Commemorationi Passionis Domini* Missae celebratio destinatur. Paramenta sunt poenitentialia, cantus Passionem revocant; sed praesertim in ea, prima vice, legitur historia Passionis, initio magnae hebdomadae cruciatibus Domini commemorandis destinatae. Haec lectio historiae Passionis est elementum traditionale romanum, quod instauratus Ordo servat, in ipsum tamen uniformitatem inducens cum lectione eiusdem Passionis quae feria sexta recitatur, narrationem ducendo ab oratione in horto usque ad Domini sepulturam, omissa cena in domo Simonis et cena ultima cum discipulis. Quo factum est ut elementum traditionale et non parvi momenti sit servatum, et felix accommodatio sit facta per breviationem lectionis.

2. De feria quinta in Cena Domini.

Ad rectam et pleniorem intelligentiam instaurationis huius feriae, naturam ipsius et celebrationes eidem affixas considerare oportet. Quamvis enim, originarie, ut dies orta sit commemorationi institutionis Eucharistiae destinatus, ipsi tamen, utpote qui esset ultimus dies « liturgicus » ante Pascha, assignata est reconciliatio poenitentium et consecratio sacrorum Oleorum pro baptismate conferendo. Unde factum est ut trina haberetur eo die celebratio eucharistica: pro reconciliatione poenitentium, Missa chrismatis et Missa in Cena Domini. Attamen, poenitentiali instituto obsoleto, et celebratione Cenae Domini ad horas matutinas anteacta, harmonica haec dispositio celebrationum evanuit, in una retentis et consecratione Oleorum et commemoratione Cenae Domini. Hodierna instauratio huiusmodi harmonicam dispositionem revocare conata est, Missa in Cena Domini horis vespertinis reddita, et Missa chrismatis restituta.

a) *Missa chrismatis* nihil aliud est quam restitutio pristinae Missae Oleis consecrandis destinatae, sive quoad institutum sive

quoad textus qui ad nos usque pervenerunt e vetustis Sacramentariis. Orationes enim e Gelasiano desumuntur; praefatio, quae, Missa chrismatis obsoleta, in praefationem pro chrismatis consecratione assumpta erat, nunc suum locum in Missa iterum obtinet. Textus vero pro cantibus et lectionibus ex novo sunt selecti. Ritus tamen consecrationis Oleorum, ut in Pontificali invenitur, nullam immutationem habuit, quamvis multum discrepet ab aliis benedictionibus similibus, hebdomadae sanctae adnexis, quae instauratae sunt.

b) Ad *Missam in Cena Domini* quod attinet, notandum est eandem esse, quoad textus et peculiaritates, quae antea horis matutinis celebrabatur. Ipsi tamen directe adnexum est Mandatum, seu lotio pedum, et servata est communio sacerdotum qui, hoc die, a celebrando abstinent, iuxta perantiquam traditionem.

Mandatum in Missam inducitur immediate post lectionem evangelicam, quae commemorat actum humilitatis a Domino discipulis praestitum. Ritus qui, penes christianas et monasticas communitates ut actus caritatis et humilitatis erga fratres invenitur, saec. VI-VII fit actus liturgicus, huic feriae specialiter adnexus. Media aetate huiusmodi ritum devote perfecerunt et Summi Pontifices et Episcopi et Sacerdotes ipsique Principes erga pauperes et subditos. Postquam, ultimis his saeculis, peculiaritas remanserat communitatum capitularium et monasticarum, ritus hic denuo in conspectum fidelium inducitur, signum et argumentum fraternitatis et unitatis inter diversos coetus sociales. Mimine tamen praecipitur, sed iis tantum locis commendatur, ubi post debitam pastoralem et catecheticam praeparationem, non evadat actus merae curiositatis, sed ad unitatem fidelium et operum caritatis augmentum inservire possit.

Alia peculiaritas Missae in Cena Domini est communio quam sacerdotes, ipsi Missae sollemni assistentes, de manu celebrantis suscipiunt, quin et ipsi privatim celebrent. Documenta liturgica de hac *cleri communione* nonnisi post obsoletum morem concelebrationis loquuntur, ut notare fas est, prima vice, in Ordine Einsiedlensi, initio saec. VIII conscripto. Quae praescriptio ad Ordines et libros liturgicos saeculorum subsequentium transivit, et inde ad Missale romanum (1570) et ad Caeremoniale Episcoporum (1600) cum libri liturgici definitive redacti sunt; necnon ad Codicem Iuris Canonici. Consuetudines monasticae solummodo, et quidem ultimis tantum saeculis mediae aetatis, passim, aut praecipiunt aut permittunt privatim celebrare, quamvis in genere communionem tantum praecipiant: in qua communione sacerdotum, traditio ec-

clesiastica unanimiter semper vidit perfectam commemorationem ultimae cenae Domini, qui solus celebravit, duodecim postea Corporis sui sacramenta distribuendo.

Qua in re, ut infra notabitur, Ordo instauratus leges antea vigentes retinet, quae celebrationem Missarum privatarum prohibent, sacerdotum communionem suadendo.

c) *Eucharistiae repositio*, feria quinta in Cena Domini, sicut et aliis feriis quae diem praecederent « aliturgicum », pro communione distribuenda feria sequenti fiebat, nulla tamen adhibita sollemnitate aut peculiaritate. Media aetate tantummodo (saec. XI) prima vestigia apparent sollemnitatis quae hanc repositionem comitatur: eligitur enim altare loco sacrarii, fit processio festiva, lumina indesinenter ardent ante Eucharistiam repositam. Hinc etiam promanant numerosae et variae illae populares consuetudines quae, praesertim in regionibus mediterraneis, ad nos usque pervenerunt. Nomen « *sepulcrum* » quo haec repositio vulgo indicatur, improprium etsi quibusdam ecclesiasticis documentis usurpatum, ex more mediae aetatis provenit integrum Triduum sacrum memoriae Passionis Domini consecrandi, morte Domini assignata non momento ipsius mortis physicae in cruce, sed momento mysticae immolationis eucharisticae in ultima cena.

Archaelogismus immoderatus Eucharistiae repositionem certo omnino damnasset. Attamen reverentia erga venerandam traditionem, spiritualibus fructibus certe non expertem, eam servatam voluit, etsi denuo in mentem revocata sit austera sobrietas ornatuum, quam indoles tridui sacri exigit; et tempus publicae adorationis horis tantummodo vespertinis assignatum sit, usque ad mediam noctem, quando scilicet memoriae institutionis Eucharistiae succedit memoria Passionis Domini.

3. *De feria sexta in Passione et Morte Domini.*

Traditio ecclesiastica, hac feria, sacrificii oblationem ignorat, huius loco habens peculiarem actionem « aliturgicam » quae, ea forma qua ad nos usque pervenit, notas omnes servat synaxis « aliturgicae » Ecclesiae primaevae.

a) Actio liturgica initium sumit in silentio et squalore ecclesiae non ornatae, cum altari absque tobaleis, absque cereis et abque cruce. Prima pars, si omnia elementa servat, quae iam in Missali romano exstabant, ea tamen complet iuxta morem antiquiorem. Ita, orationi in silentio super gradus altaris addita est collecta *Deus, qui peccati veteris*, quae collectae alteram lectionem praecedenti respondet. Insuper abolita duplicatio lectionum per celebrantem fa-

cienda universae actioni naturam suam vere drammaticam reddit, in qua suam quisque partem habet.

b) *Lectionibus* antiquae et novae Legis succedit *Oratio fidelium*, idest oratio quam unice fideles, catechumenis dimissis, post partem catecheticam Missae fundebant, antequam ad sacrificium procederent. Ordo instauratus retinet schema Missalis romani, quod est schema primaevum liturgiae romanae et aliarum. Singulae intentiones nunc numero notantur et titulum obtinent. Oratio pro imperatore locum cedit orationi « Pro res publicas moderantibus », quae efformata est elementis ipsius orationis pro imperatore et orationis pro ipsis res publicas moderantibus, quae sub finem praeconii paschalis iam anno 1951 inducta erat. Oratio pro conversione Iudaeorum, monitum ad flectendum genua et orationem in silentio, ut omnes aliae, iterum habet. Restitutio huius precationis in silentio, flexis genibus faciendae, est elementum magis conspicuum instaurationis huius partis. Monitum enim diaconi, aut ipsius sacerdotis, « Flectamus genua » munus suum integre assumit, quin sit actus mere formalisticus, cui in re nihil respondeat.

c) *Crucis adoratio*, quae Ierosolymis ortum habuit ut actus venerationis veris sanctae Crucis reliquiis praestitus, centrum semper fuit, sicut et nunc manet, totius commemorationis Passionis et Mortis Domini. Hic ritus prima vice in Ordinibus romanis saec. VIII recensitus, usque ad saec. XIV evolutionem externae sollemnitatis habuit, quae illum etiam nunc comitatur: idest sanctae Crucis ostensionem, prostrationes, cantus. Omnia elementa Missalis romani in Ordinem instauratum transeunt, qui ritum perficit per sanctae Crucis delationem ad altare. Quod certe magis perfecte respondet primaevae traditioni deferendi ad ecclesiam reliquias sanctae Crucis, aut simplicem Crucem ligneam ad altare, antequam libri liturgici (saec. XVI) praeciperent esse assumendam ipsam Crucem altaris. Aliud elementum e libris liturgicis mediae aetatis desumptum est traditio Crucis, post ipsius ostensionem, duobus acolythis, qui illam hinc inde per bracchia sustentant super gradus altaris, quin amplius super tapete, ante gradus altaris, in terra deponatur. Sancta Crux demum super altare collocatur tantummodo post adorationem, qui actus intronisationi quodammodo respondet.

d) In Ordine instaurato, sanctae Crucis adorationi succedit *Communio fidelium* qui quidem certe est actus magis audax totius instaurationis. Resurgit enim, post tot saecula, antiqua et pretiosa traditio. Mos abstinendi, hac feria, non tantum a sacrificio, sed etiam ab usu praesanctificatorum, initio universalis fuit etiam in ecclesia hierosolymitana, graeca et ambrosiana, quae usum hodie

adhuc retinet. Et certe est dicendus rigida applicatio praescriptionis Innocentii papae I ad Decentium: « Traditio Ecclesiae habet biduo isto sacramenta penitus non celebrari ». Cuius traditionis intermissio desiderio est tribuenda participationis magis directae et intimae fructibus Passionis per eucharisticam communionem habendae. Romae, mos ad eucharisticam communionem accedendi initio saec. VIII recensetur, attamen extra celebrationem papalem. Saeculis subsequentibus, documenta liturgica et episcoporum decreta feriam sextam hebdomadae sanctae recensent inter dies quibus, de praecepto, sacra communio est sumenda. Demum saec. XII, pietate eucharistica tepescente, mos sacram communionem recipiendi primo ad libitum evadit, deinde penitus interdicitur, communione eucharistica uni celebranti reservata. Attamen, non obstantibus his praeceptis, mos omnino non decidit et, quibusdam in locis, saec. XVIII ad finem vergente, adhuc retinetur.

Traditione communionem recipiendi revocata, Ordo instauratus omnes ritus amittit e Missa desumptos, qui « Missam praesanctificatorum » efformabant. Redeunt, e contra, elementa essentialia ritus communionis extra Missam: oratio dominica cum sua praefatione et embolismo, et confessio.

Mens Ecclesiae est ut fideles « Corpus Domini, pro omnibus hoc die traditum, devote sumentes, uberiores redemptionis fructus percipiant ».

4. *De sabbato sancto.*

Ritus vigiliae paschalis, qui in Ordine hebdomadae sanctae instaurato continetur, idem est ac ritus iam anno 1952 pro facultativa celebratione editus, paucis tantummodo, in rubricis, immutatis, ad eas magis perspicuas et clariores reddendas.

Notanda solummodo veniunt et obligatio vigiliam ubique celebrandi, cum annis praecedentibus ad libitum tantum reliqueretur et beneplacito Ordinarii loci substaret; et maior libertas in hora « competenti » pro celebratione seligenda. Ordo enim Sabbati sancti anno 1951 evulgatus horam competentem signabat « ea quae permittat incipere Missam solemnem... circa mediam noctem ». Editio altera eiusdem Ordinis, anno 1952, mitigationem inducens, concedebat ut « gravibus publicisque de causis, in quibusdam ecclesiis », Ordinarius loci dare posset facultatem « sacram celebrationem anticipandi, non autem ante horam octavam post meridiem ». Ordo demum hebdomadae sanctae instauratus, ulterius procedens, concedit, ut, « ponderatis fidelium et locorum condicionibus, de iudicio Ordinarii loci » sacra celebratio initium sumere

possit horis vespertinis, non tamen « ante diei crepusculum, aut certe non ante solis occasum », quando scilicet, iuxta documenta mediae aetatis, « prima stella appareat in coelo ».

Qua in re, etsi elementum historicum plene non servatur, ea tamen mensura retinetur quae sufficiat ad valorem symbolismi integre habendum. Mitigationes, de cetero, quae superveniunt bene et historiam et bonum animarum inter se conciliant.

Cetera elementa instaurationis huius vigiliae, cum iam suo tempore sint amplius explicata; hic iterum non referuntur.

III. De ordine hebdomadae sanctae instaurato et re disciplinari.

Innovationes non parvi momenti inveniuntur in his documentis, quae directe rem disciplinarem afficiunt, utpote quae, intentione directe pastorali, novo spiritu ad rem adducunt principia iam exstantia, aut etiam principia omnino nova in vigenti disciplina ecclesiastica instaurant.

1. *De vi iuridica horum documentorum.*

a) *De eorum approbatione pontificia.* — Mirari quis poterit innovationes tanti momenti inductas esse documentis ordinariis unius e S. Sedis Dicasteriis, potius quam sollemni actu pontificio. Plures enim normae, quae his documentis continentur, facultates ordinarias superant S. Congregationis quae illas promulgavit. Sacra enim Rituum Congregatio « ius habet videndi et statuendi ea omnia quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur... » (can. 253, § 1). Quaedam dispositiones, e contra, horam celebrationis aut facultatem binationis spectant, quae de se S. Congregationem de disciplina Sacramentorum respiciunt; aliae quae anticipationem divini Officii aut unius vel alterius eiusdem partis omissionem, quae directe ad S. Congregationem Concilii pertinent.

Qui tamen prae oculis habere voluerit « iter » horum documentorum, ut in parte expositiva ipsorum aperte indicatur, facile perspicere poterit vim iuridicam eorum, ita ut eadem et Pontificia et vim legis universalis, propriae dictae, habere, dicere conetur.

Universae hebdomadae sanctae instaurationem locorum Ordinarii efflagitaverunt in relationibus ab ipsis ad S. Rituum Congregationem missis, circa celebrationem vigiliae paschalis instauratae. His perspectis, Summus Pontifex mandavit ut Commissio pro liturgiae reformatione ab ipso constituta quaestionem examini subiceret et conclusiones proponeret. Huius Commissionis conclusio-

nes, ipso Summo Pontifice iubente, ab E.mis Patribus S. Rituum Congregationis perpensae sunt et approbatae. Demum, E.mo Cardinale S. R. C Praefecto referente circa deliberata E.morum Patrum, Summus Pontifex mandat ut S. R. C. documenta componat quae ad ritus instauratos hebdomadae sanctae promulgandos sint necessaria. Haec ad *Decretum* et *Instructionem* quod attinet. Subsequens *Declaratio* diei 15 martii anni 1956 « de mandato Summi Pontificis » item est promulgata. Aliae *Variationes* Editoribus Pontificiis significatae et in libros liturgicos denuo imprimendos inducendae, sunt practicae applicationes praecedentium documentorum, quin aliquid novi contineant; et pertinent ad ordinarias facultates ipsius S. R. C.

b) *Eorum extensio.* — Instauratio directe respicit libros liturgicos Ecclesiae romanae, et ideo eos omnes qui ritum romanum sequuntur. Attamen, expressa legislatoris voluntate, alios quoque ritus latinos respicit, quin aliquid eorum rituum libri liturgici directe immutent, si horam celebrationis excipias: cuius dispositionis ratio, e necessaria uniformitate habenda, in Ecclesia latina universa, dependet.

In praxi ergo: omnes ritus latini, non romani, cum ritu romano quoad horas sacrarum celebrationum concordare debebunt.

Iis insuper conceditur, si id petierint, ut suos libros liturgicos, iuxta libros liturgicos romanos instauratos, revisant: qua tamen in revisione ea quae singulis ritibus vere sunt propria servanda erunt, etsi inductis emendationibus quas ipsius ritus historia vel ratio pastoralis suadere possit; ubi vero exstent elementa ritui romano communia, ritus peculiares emendationes inducere tenebuntur quos ritus romanus invexerit.

Ita ecclesia Mediolanensis, ad exemplum ritus romani, Missam chrismatis induxit, servatis tamen omnibus elementis quae ritui ambrosiano sunt propria. Alii ritus obtinuerunt facultatem suos libros liturgicos romanis conformandi, inductis mutationibus his propriis, cuiusmodi, v. gr., sunt precatio in silentio ad « Flectamus genua »; oratio pro res publicas moderantibus loco orationis pro imperatore; sacra communio fidelium in Actione liturgica feriae sextae, resecatis tamen omnibus partibus quae « Missam praesanctificatorum » constituebant.

c) *Eorum obligatio.* — Dum celebratio vigiliae paschalis ad experimentum concessa erat et, pro singulis casibus, prudenti iudicio Ordinarii loci demandabatur, ritus instaurati universae hebdomadae sanctae inde a prima eorum celebratione sub praecepto obligant: cuius obligationis terminus a quo, calendaristice et liturgice,

praecise indicatur: « die 25 martii, dominica II Passionis seu in palmis anni 1956 », cum exacta determinatione vacationis legis, norma generali, can. 9 statuta, pressius indicata.

2. *De Officio divino.*

a) *Hora competens.* — Dum in dominica II Passionis et feriis II, III, et IV hebdomadae sanctae Officium divinum recitatur ut in Breviario romano, servatis tamen normis per generale decretum de rubricis ad simpliciorem formam redigendis statutis, et insuper « horis consuetis persolvitur »; pro feria quinta, sexta et sabbato, in publica recitatione, redeundum est ad horam singulis Officii partibus competentem. Quod idem valet ac anticipationem Matutini et Laudum supprimere, si feria quinta excipiatur, pro ecclesiis cathedralibus in quibus horis matutinis feriae quintae celebratur Missa chrismatis. At, in casu, agitur de privilegio, non de obligatione Matutinum et Laudes de sero anticipandi.

Hora competens intelligenda est hora quae singulis partibus Officii respondet, salvis tamen necessariis aut opportunis accommodationibus, quae, horae significatione servata, recitationem cuiusque partis Officii tempore commodo disponant.

b) *Quaedam Horae omittendae praecipiuntur, aliae aliter ac antea disponuntur.* Dispositiones quae hanc rem respiciunt ita breviter colligi possunt:

1) *Vesperae*, feriis quinta et sexta, semper erunt omittendae in recitatione chorali « cum earum locum teneant functiones principales horum dierum ».

Insuper omittentur, etiam in privata recitatione, ab iis qui functionibus vespertinis horum dierum (Missae scil. in Cena Domini, aut Actioni liturgicae postmeridianae) intererunt.

2) *Completorium* sabbati sancti semper erit omittendum in recitatione chorali, cum tali nocte sit vigilandum. Attamen illud recitare tenentur, privatim, chorales qui, quavis de causa, vigiliae paschalis celebrationi non intererunt; sicut, e contra, illud omittere poterunt, etiamsi ad choralem recitationem non teneantur, qui vigiliae paschalis celebrationi intererunt. Ita est interpretanda dispositio Ordinis hebdomadae sanctae instaurati (Sabb. sancto, *De Officio divino*, n. 3): « In privata recitatione... persolvendum est insuper Completorium ». Quod aperte indicatur in rubricis in novas Breviarii editiones inserendis, et a S. R. C. Editoribus Pontificiis significatis: « (Completorium) dicitur tantum ab iis qui solemni vigiliae paschali non intersunt ». Quod, de cetero, respondet normis datis pro recitatione Matutini et Laudum Dominicae Resurrectionis.

3) Schemate, quod « *Pro Vesperis* » appellabatur, ablato, quodque Missae vigiliari sabbati sancti, ad meridiem finem habenti, apponebatur, sabbatum sanctum integrum Vesperarum schema obtinet, a feriis praecedentibus desumptum, cum opportunis accommodationibus indoli diei respondentibus (cfr. *ant.* Hodie afflictus sum valde, sed cras solvam vincula mea; et *ant. ad Magnif.* Principes sacerdotum... munierunt sepulcrum, etc.).

Hae Vesperae, in publica recitatione, horis postmeridianis sabbati sancti erunt persolvendae.

4) Opportuna, immo necessaria, accommodatio inducitur in Officium nocturnum Dominicae Resurrectionis. Omnes enim qui vigiliae paschali interfuerint, dispensantur a recitatione Matutini et Laudum, cum eorum locum obtineat celebratio eiusdem vigiliae. Loco ergo Matutini et Laudum inducitur schema, quod « *Pro Laudibus* » appellatur, quodque ad modum schematis « *Pro Vesperis* » olim sabbato sancto assignati confectum est, et Missae vigilari coniungitur.

In praxi ergo, Matutinum et Laudes Dominicae Resurrectionis exinde semper omittentur in recitatione chorali; insuper omittentur, etiam in recitatione privata, ab iis omnibus qui vigiliae paschali interfuerint.

5) His prae oculis habitis, licet duo colligere. Primo quidem: Officium divinum esse non debet pondus diei irrationale. Aurea sobrietas orationis officialis Ecclesiae non debet evadere mera formalitas, sed quid vivum; et quando hora competens pro alicuius partis Officii recitatione alia iam oratione vel celebratione potioris momenti occupatur, Officium divinum ab his sufficitur.

Insuper, oratio liturgica, quae in Breviario continetur, habenda est ut vera sacerdotum precatio, singulis diei horis aptata, harum necessitates et peculiaritates sapiens; quin huius orationis partes ad unam tantum diei horam, illogice et mechanice ita cumulentur ut evadat verum diei pondus et oratio sine sensu, a sua sede naturali avulsa. Veritas enim, non historica tantum sed et logica, influxum psychologicum non parvi momenti habet ad pretium orationi tribuendum.

3. *De Missae celebratione feria quinta in Cena Domini.*

Iuxta Missalis romani et aliorum liturgicorum documentorum praecepta, necnon C. I. C. normas (can. 862) feria quinta in Cena Domini interdicitur privata Missae celebratio. Hac lege ergo, singulis ecclesiis fas erat unam Missam, sollemnem aut non, principa-

lem celebrare, repositioni Eucharistiae pro feria sequenti directe connexam.

Indulte tamen particularia, Religiosis praesertim data, concedebant alterius Missae lectae celebrationem, ante Missam principalem; dum lex universalis praecipiebat providendum esse numero sufficienti Missarum, ut fideles possent praecepto de Sacro audiendo satisfacere, quoties feria quinta in Cena Domini die feriato occurrisset. (Decr. S. R. C. 1883, 1885, 1890[6], 2240).

Normae nunc Ordinis instaurati pastoralem et practicam fidelium utilitatem magis directe considerant, ita ut omnibus fas sit eo die renovationi primi sacrificii eucharistici interesse et sacram communionem sumere. Ordinarius siquidem loci potest singulis oratoriis semipublicis, etiamsi repositio Eucharistiae pro feria sequenti non habeatur, unius Missae lectae celebrationem permittere; itemque singulis ecclesiis et oratoriis publicis, celebrationem unius vel alterius Missae lectae ante Missam principalem.

Legi tamen generali privatim interdicenti celebrationem, quae novis etiam normis resumitur, remanent exceptiones lege ipsa praevisae, quae ius privatim litandi concedunt E.mis Patribus Cardinalibus (can. 239, § 1, n. 4) et Episcopis (can. 439, § 1, n. 4) quoties hi in ecclesia cathedrali celebrare non teneantur. Item adhuc vigent indulta particularia ab aliquo S. Sedis Dicasterio singulis sacerdotibus data: non enim aperte haec indulta novis normis revocantur. Omnes tamen qui privilegio hoc gaudent, tenentur in posterum tempus celebrationis immutare, cum, lege universali, ab horis matutinis ad horas vespertinas translatum sit.

Notanda adhuc remanet peculiaris condicio ecclesiarum cathedralium, in quibus, praeter Missas singulis ecclesiis concessas, ex novo inducitur Missa chrismatis, mane celebranda; ita ut, iuxta Ordinis instaurati normas, in iis etiam quatuor Missae valeant litari.

Breviter, normae pro Missae celebratione, feria quinta in Cena Domini, sic resumi valent:

a) Si Missa chrismatis excipiatur, quae unice in ecclesiis cathedralibus mane litari valet, omnes Missae horis vespertinis celebrari debent.

b) Missa principalis huius diei, sollemnis aut cantata aut etiam lecta iuxta singularum ecclesiarum possibilitates, ea est quae repositioni Eucharistiae directe coniungitur.

c) Privilegiis particularibus, quibus alicubi alterius Missae lectae celebratio ante Missam diei principalem concedebatur, succedit lex universalis, spiritu pastorali inspirata, quae concedit quoties

fidelium necessitas aut utilitas id requirat, unius vel alterius Missae lectae celebrationem. Huius concessionis exsequutio prudenti iudicio Ordinarii loci committitur, cuius erit singulos casus perpendere.

d) Vim suam retinent privilegia, pro Missae privata celebratione, aut lege universali praevisa aut singulis sacerdotibus a competenti auctoritate concessa, mutata tantum hora celebrationis.

4. *De facultate binandi.*

Innovationibus, quae principiis pastoralibus innituntur, pro Missae celebratione feria quinta in Cena Domini, directe connectuntur principia et normae pro binatione. Etenim:

a) Praeter casus can. 806, § 1, principium binationis a diebus 25 decembris et 2 novembris extenditur etiam ad feriam quintam in Cena Domini, pro Episcopis qui, Missa chrismatis mane litata, desiderent etiam Missam in Cena Domini, vespere, celebrare; et pro sacerdotibus qui duarum paroeciarum curam habeant. Idem dicendum venit de Dominica Resurrectionis pro Episcopis et sacerdotibus qui, postquam Missam vigiliae paschalis hora competenti litaverint, idest ad mediam noctem, cupiant Missam quoque festivam Dominicae Resurrectionis celebrare; et hoc absque praeiudicio quoad facultatem Missam bis aut ter eodem die festivo celebrandi.

b) Contra can. 806, § 2, facultas binandi, quae unice diebus festis de praecepto competit, etiam ad feriam quintam in Cena Domini, idest ad diem qui feriatione non gaudet, extenditur.

c) Contra praescriptum can. 857, sacerdotibus qui duarum paroeciarum curam habeant conceditur ut sacram communionem bis in eodem die sumere valeant ad Actionem liturgicam feriae sextae in Passione et Morte Domini bis agendam, distinctis in paroeciis.

d) Bina celebratio Missae vigiliae paschalis dari potest si sacerdos in una paroecia vigiliam celebret horis vespertinis, et in alia hora competenti. Quo in casu tamen, etsi agatur de eiusdem actionis liturgicae repetione, minime exstat binatio, cum una Missa horis vespertinis sabbati sancti celebretur, et altera horis matutinis dominicae, idest diversis diebus.

5) *De Communione.*

a) *Feria quinta in Cena Domini*, iuxta normas ante promulgationem Ordinis instaurati vigentes, sacra communio horis matutinis distribui poterat, ante Missam principalem, aut infra ipsius Missae celebrationem, aut continuo ac statim ab ea expleta, ante Sacramenti repositionem.

Iuxta vero Ordinem hebdomadae sanctae instauratum, unice distribui potest horis vespertinis, sive infra Missas lectas quae Missam principalem praecedere possunt, ac statim ab iis expletis; aut infra Missam principalem ac statim ab ea expleta, ante Sacramenti repositionem.

Quod nihil aliud est dicendum nisi applicatio principii generalis per can. 867, § 4 enunciati: « Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest ». Missae enim celebratione horis vespertinis nunc assignata, congruum est ut in iis sacra communio distribui liceat.

Attamen notandum est, quoad Missam chrismatis, ipsam ab hac norma derogare, cum infra eam non liceat sacram communionem distribuere. Quae norma certe providere voluit ut fideles, vespere ad sacram mensam accedentes, magis directe et fideliter Cenae Domini participes fiant.

b) *Feria sexta in Passione et Morte Domini*, contra, quid omnino novum recenset, perantiqua revocata traditione, qua omnibus fidelibus licet ad sacram communionem accedere, ad fructus Passionis uberius et magis intime participandos.

Etenim, contra can. 867, § 2: « Feria sexta maioris hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre », cum omnimoda exclusione communionis pro fidelibus qui non sint in mortis periculo constitutis, Instructio hodierna S. R. C. statuit: « ...(feria sexta in Passione et Morte Domini) omnes qui id cupiunt et rite parati sunt, ad sacram quoque communionem accedere possunt; ea potissimum mente... ». Qua de re iam supra fusius actum est.

c) *Sabbatum sanctum*, dies « aliturgicus » iterum restitutum, idest sine sacrificii eucharistici celebratione, dies item evadit sine communione. Attamen etiam hoc die possibilitas dari potest ad sacram communionem accedendi iis in ecclesiis, in quibus celebratio vigiliae paschalis horis vespertinis sabbati anticipetur. Missa quoque vigilari necessario ad horas sabbati anteposita. Hanc possibilitatem spectat dispositio illa Instructionis (n. 18): « Sabbato sancto (sacra communio) dari potest tantummodo intra Missarum solemnia, vel continuo ac statim ab iis expletis ».

d) Qua lege *ieiunium eucharisticum* regatur, aperte edicitur: « Serventur normae in Constitutione Apostolica « Christus Dominus » et in adnexa « Instructione » Supremae S. Congregationis S. Officii, diei 6 ianuarii anni 1953, traditae ». Unde servandum est ieiunium trium saltem horarum pro cibis solidis, et unius saltem horae pro potionibus non alcoolicis, ante sacram communionem, aut, respective, pro sacerdotibus, ante Missae initium, feriis quinta

et sexta et sabbato sancto, si Missa vigilaris ad horas vespertinas anticipetur; inde vero a media nocte, pro Missa vigiliae paschalis hora competendi celebranda.

e) *De communione infirmorum.* Textus Decreti in diario *L'Osservatore Romano* relatus, ad infirmorum communionem quod spectat, concedebat ut eius distributio fieri posset infirmis omnibus, etsi in mortis periculo non constitutis: unde iis licebat communionem afferre non tantum ad modum Viatici, sed etiam ex mera devotione (« exceptis infirmis *vel* in periculo mortis constitutis »). Textus tamen definitivus in commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis* editus, particulam *vel* amplius non refert. Hinc evidenter patet restrictionem factam esse, communione tantum ad modum Viatici iis infirmis reservata, qui sint in periculo mortis constitutis.

Optandum certe est ut, in definitiva legis redactione pro communione his diebus sumenda, ad infirmos quod attinet, primus iterum sumatur Decreti textus. Sic enim omnibus qui aliquo morbo laborant conceditur ut, per sacram communionem, Christi cruciatuum magis directe participes fiant. Id etiam valde congruit cum facultatibus, his diebus, omnibus fidelibus concessis et cum normis Constitutionis Apostolicae « Christus Dominus » et adnexae Instructionis S. Officii, iuxta quam magni favores infirmis tribuuntur. Animarum pastoribus insuper huiusmodi concessio valde utilis evadet ut, horis matutinis horum dierum, quae peculiaribus functionibus carent, possint facultatem infirmis praebere praecepto satisfaciendi de communione paschali recipienda.

6) *De benedictione domorum.*

a) Mos domos benedicendi ipso sabbati sancti die post Missam vigiliarem expletam, hac ad horas nocturnas translata, de se certe erat et ipse transferendus. Huiusmodi enim benedictio horis postmeridianis sabbati sancti assignabatur, idest primis horis temporis paschalis, ita ut singulis paroeciae familiis deferretur aspersio acquae benedictae ad fontis baptismalis renovationem in celebratione vigilari. Norma ergo qua domorum benedictio ad opportuniorem diem transferenda edicitur, praesertim si hi dies post Pascha eligantur, apprime respondet liturgicae ritus significationi.

b) Notandum insuper huiusmodi ritus repositionem plene respondere parochorum iuribus et officiis. Oportet enim, iuxta Instructionem, ut sacerdos qui domos benedicit sit ipse parochus vel alius ex ipsius cooperatoribus, sacerdos scilicet qui illius paroeciae vel loci animarum curam habeat. Ratio in eo est quod ex hac personali pastoris visitatione, etsi annua tantum, possibilitas pro paro-

chis exsurgere possit personaliter, aut per cooperatores, singulas familias invisendi, cuiusque ex illis necessitatum certiorem re reddendo, iisque, in quantum fieri possit, providere atque satisfacere.

Etsi enim haec lex traditionem intercipit ex se suggestivam populoque christiano caram, utilitatem prae se fert morem rescindendi qui superstitionem alicubi forsan magis quam ritum religiosum saperet. Unde optandum est ut fideles, veram significationem benedictionis domorum iterum intelligendo et amando, ad magis consciam significationem etiam redeant praesentiae Ecclesiae in eorum vita quotidiana et sociali.

7) *De cessatione ieiunii quadragesimalis.*

a) Can. 1252, § 4, ieiunii et ideo ipsius quadragesimalis temporis finem ad meridiem sabbati sancti assignabat: qui terminus, saltem in magnis urbibus, cum fine celebrationis vigiliaris occurrebat; tempori paschali initio ita assignato, quod, sive liturgice, sive astronomice, quodammodo simul incideret. Norma in Decreto nunc tradita istam legem abrogat, quae ex C. I. C. codificatione procedit, et ad antiquiorem traditionem redit, quae ieiunio ipsique quadragesimali tempori finem imponebat ad mediam noctem inter sabbatum sanctum et Dominicam Resurrectionis.

Huiusmodi norma certe de se est opportuna dicenda, quum, celebratione horis nocturnis iterum assignata, integro sabbati diei, et non primae eiusdem parti solummodo, indolem poenitentialem diei summi luctus iterum tribuat. Attamen, cum possibilitas detur celebrationem vigiliarem ad horas vespertinas sabbati sancti anticipandi, congruum forsan fuerat, ibi saltem ubi celebratio vigiliaris revera anticipatur, finem ieiunii ipsiusque quadragesimalis temporis ad finem ipsius vigiliae ponere. Horae enim quae inter finem celebrationis liturgicae et mediam noctem cedunt, etsi post inceptum, liturgice, tempus paschale, legaliter ad quadragesimale tempus adhuc pertinent. Insuper huiusmodi antepositio melius responderet normae quae pro mensae benedictione in Ordine instaurato traditur: « Ubi tamen celebratio vigiliae paschalis anticipetur ad horas ante mediam noctem, et refectionem fieri contingat post celebratam vigiliam, benedictio mensae fit ut in Breviario romano notatur pro die Paschae ». Ita enim discrepantia vitaretur ut, qui refectionem post celebratam vigiliam sumant, ritum paschalem benedictionis, cum Alleluia, sequantur, et mensam habeant, ibi saltem ubi ieiunium et abstinentia sunt servanda, regimini quadragesimali respondentem.

b) Notandum est insuper per hanc normam minime abrogari

concessionem a S. Congregatione Concilii anno 1940 Ordinariis locorum datam qua ipsi, pro sua quisque dicione, possunt ieiunium quadragesimale tantummodo pro feria quarta Cinerum et feria sexta hebdomadae sanctae statuere servandum. Singuli ergo locorum Ordinarii possunt, si id expedire censuerint, etiam sabbatum sanctum inter dies poenitentiales recensere, quibus lex ieiunii et abstinentiae obliget; quin tamen ad hoc minime teneantur.

Instaurationis praecipuis capitibus breviter indicatis, ipsiusque spiritu eminenter pastorali perspecto, liceat nunc, ad modum conclusionis, et votum proferre quod amor pastorum erga sacram liturgiam ipsorumque voluntas bona fideles dirigat ad hos venerabiles ritus magis intelligendos magisque amandos, ut ex iis christianae pietatis fructus uberius hauriant, quos instaurati Ordinis auctores assequendos sibi proposuerunt.

Carolus Braga C. M.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

I°

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

BAREN

Nullitatis Matrimonii

(C.-F.)

(*Incidens de novâ causae propositione*).

DECRETUM

A. D. 1956, die 11 januarii, hora undecima, de mane, legitime intimata:

Infrascripti Patres in Sede S. Tribunalis congregati, ad dirimendum incidens de nova causae propositione, in quod agitandum pars conventa mordicus instat:

Auditis Rev.mo Aegidio Del Corpo, in S. Rota Vinculi Defensore, necnon Adv.to Richardo Romano, pro actore, et Victorio Trocchi, ex officio parti conventae, seu recurrenti, legitime constituto:

Haec, quae sequuntur, exponenda, animadvertenda ac statuenda rati sunt, videlicet:

1. - Factum. Didacus C., actor in causa, matrimonio inito, sub die 6 februarii 1932, Barii, cum conventa Michaela, susceptis quidem ab ea pluribus filiis, ab uxore eadem derelictus, causam de nullitate vinculi, ob metum quem in ordine ad contrahendum passus esset, apud Appulum Tribunal instauravit, sententiam suis votis faventem die 15 novembris 1953 suscipiens.

Defensor Vinculi, prouti de more, Tribunal Beneventanum appellavit: die autem 30 novembris 1954, etiam Tribunal illud contra vinculum sententiavit.

Non appellante ulterius vinculi Tutore, sententiam ad exsecutionem transivit, sive quoad effectus canonicos, sive quoad eos, quos civilts vocare usuvenit, iuxta legem Concordatariam in Italia vigentem.

Non autem acquievit mulier: quae, S Rotam adiens, vi novorum (quae praesto habere asserebat) argumentorum, efflagitavit ut causa de nullitate vinculi tertio tractaretur ac, super ipsa, justa tandem sententia proferretur.

Res cum delata fuisset Turno coram Pinna, illico, sollertia ac sedulitate maxima, investigationes accuratissimae instauratae sunt, ut apprime pateret de fundamento precum, a conventa oblatarum.

His vero expletis, auscultatis etiam Vinculi Defensore ac Patronis utriusque partis strenue decertantibus, per amplissimum decretum diei 11 octobris 1955, edixit laudatus Turnus *non constare de veritate assertorum mulieris*, ideo petitionem eius esse reiiciendam, seu *novam causae propositionem esse denegandam.*

Insuper, eodem decreto, conventa ad omnes judicii expensas ferendas condemnabatur.

Adversus decretum huiusmodi, Defensor Vinculi Turni illius rite appellationem interposuit, intra fatalia; conventa vero, recursum obtulit Beatissimo Pari, utique non aperiens, modo perspicuo, quid vellet quidve postularet, sed, utcumque, satis significando, per decisionem prolatam, se iniuste gravatam persentire. De cetero, animus prosequendi litem, ex parte conventae, iam satis proditur ex eo quod, simul cum querelis et protestationibus exhibitis, etiam exhibetur ab ea supplex petitio, pro beneficio patrocinii gratuiti obtinendo. Ut quid petitio haec, nisi ad ulterius pro assumptis certandum?

2. - Animadversiones. a) Nullum, proinde, perpensis omnibus, dubium superesse potest, in casu, circa prosecutionis actionis legitimitatem, ex parte conventae.

Novus Defensor Vinculi, in hac instantia constitutus, aggrediens quaestionem de prosequutione appellationis, a confratre interpositae, eam directe solvere noluit, i. e. nec appellationem retractare statuit, nec se eam prosequi velle expresse declaravit, simpliciter tenens se « non posse saltem ab appellatione interposita a parte conventa » recedere· cui, equidem, ius competit obtinendi duplicem conformem super legitime quaestitis. Quibus Patres Turni subscribendum esse censuerunt.

b) Patrocinium gratuitum quod spectat, maluit R. P. D. Ponens quaestionem seponere usque ad definitionem incidentis.

Proinde conventae efflagitanti nihil expresse respondit, sed solummodo curavit ut patronus ex officio ei assignaretur, ad normam can. 1655, 2, ea mente ac fine quod legitima defensio praetensis et adductis juribus non deficeret.

Quod, si in Decreto Exc.mi Decani quo patronus constituitur, mentio fit de « concesso » patrocinio gratuito, id nonnisi lapsui calami tribuendum est: non enim necessariis condicionibus ac normis (can. 1915 C. J. C. et art. 178 Normarum) umquam, hucusque, satisfactum est.

Igitur, patrocinium gratuitum neque uni neque alteri parti concessum est, nec conceditur: imo, si forte umquam, propter materialem errorem, recognitum fuit, per praesens decretum expresse revocatur, prae oculis habito quod nullo modo de paupertate petentis vel petentium constat, imo contrarium sufficienter ex tabulis processualibus emergit.

3. Decisiones. - Ad meritum propositi incidentis denique attendentes, edixerunt Domini, in praesens, rationes nullas conspici, quarum gratia Rotale Decretum, die 11 octobris 1955 editum, infirri seu reformari deberet.

Non enim quid a quocumque expositum vel adductum fuit, quo Decreti eiusdem argumenta, vel citata in ipso documenta, annullentur vel labefactentur.

Omnia et singula, quae ad veritatem perquirendam, eamque in propatulo ponendam, excogitari aut desiderari potuissent, in praecedenti Turno reapse posita ac gesta sunt: quae, utique, in unum idemque, concordi voce viribusque unitis, conspirarunt: in probandum, nempe, et confirmandum, bonum actoris jus in causa agenda de nullitate vinculi, simulque malam fidem mulieris resistentis, eiusdemque mendacium.

Missis ceteris, in Rotali praecitato Decreto fuse atque egregie expositis, recoluisse heic tantum sufficiat sive mulierem conventam, sive testes praecipuos ei faventes, moribus perditissimis esse praeditis: ita ut non desit qui injuratus auscultari debuit ad sensum cann. 1757, § 2, 2°, et 1758.

Ceterum, vis metusve iniustus, quo compulsus ac fractus actor ad aras accessit, non operi solummodo reae conventae, et eorum qui de eius gente sunt, attribui debet, sed — ut lucide constat sive ex sententiis Appula et Beneventana, sive ex Rotali Decreto — etiam, ac praecipue, forte, familiae actoris conatibus, minis atque pressionibus, pariterque sanctionibus, quas actoris eiusdem Superiores, nisi matrimonio locus fieret, infligere decreverunt: de quibus — ut facile conceditur — neque mulier rationem reddere potest, neque testes qui, bona vel mala fide, pro assumptis eius defendendis militare voluerunt.

Quibus in jure et in facto aeque perpensis, statuerunt Patres Decretum Rotale diei 11 octobris 1955 esse confirmandum, et reapse, per praesens, illud confirmant, *edicentes ac definitive declarantes, in altero jurisdictionis gradu, novam causae propositionem non esse concedendam.*

Damnarunt insuper ream conventam, ad omnes expensas judicii praecedentis et praesentis sustinendas, simul cum honorariis utriusque partis debitis: et id, non modo ob eius conditionem oeco-

nomicam, quae tenuis non probatur, sed etiam ob patentem dolum, quo acta, adhuc pro vinculo dimicare praesumit, testes subornando, et aliis iniquis artificiis machinando.

Mandarunt tandem, ut de actis et decretis, quam citius, omnibus quorum interest notidicatio fiat, ad omnes juris effectus.

Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli, *Ponens*
Emmanuel Bonet

II°

Coram R. P. D. Peiro Mattioli, *Ponente*

Sententa diei 22 febr. 1956

(*de forma canonica*)

Facti species. - In urbe X., in oratorio v. « del Soldato », die 8 januarii 1936, per ministerium rev.mi Caroli, matrimonium factum est inter Hermannum Carboni et Lydiam Bini.

Nostrum non est inquirere de visissitudinibus matrimonii huius, atque causas investigare, ob quas vitae communio fracta est.

Sufficiat adnotasse Hermannum, animo et corpore jam ab uxore separatum, die 15 martii 1950, libellum Tribunali regionali N. obtulisse, matrimonium de nullitate accusando ob defectum canonicae formae, seu, ut jure vetere dicebatur, ob clandestinitatem: utpote quod, extra paroeciam sponsae celebratum fuisset, per sacerdotem delegatum non a parocho ex territorio competente, sed a parocho sponsae.

Et suscepit quidem actor. die 5 junii 1951, sententiam assumpto faventem, quam et Tribunal appellationis F., die 31 decemb. 1953, rite confirmavit. Defensor autem vinculi Tribunalis F. ulterius esse appellandum, pro sua conscientia, ad praescriptum can. 1987, ratus est.

Ex hoc, quaestio ad H. A. T. denuo pertractanda pervenit. Heic, nova instructione accuratissime peracta, coram partium Patronis ac D. V., ad rem citatis, dubium tertio propositum fuit: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

In iure. - Quidquid sit de vetere disciplina, stat factum de quo dubitari non potest: nempe, juxta vigentem ordinationem, non sufficere, ad valide contrahendum, quod consensus matrimonialis integer ac liber quomodocumque manifestetur, nisi etiam *legitime*

manifestetur (can. 1081, § 1), i. e. juxta normas in cann. 1094-1096 apprime descriptas atque impositas. Et, cum laudati canones optime noti sint, supervacanee hic ad unguem eorum contentum referretur.

Ut cetera relinquamus, quae casum Nobis oblatum non spectant, recolatur in praesens jurisdictionem pro valide adsistendo celebrationi alicuius matrimonii (utique jurisdictionem *lato sensu* sumptam) esse unice et exclusive territorialem, et competere parocho loci, vel Ordinario dioecesis, quoad omnia et singula matrimonia in regione propriae ditioni subiecta celebranda, sive subditorum, sive extraneorum. Eisdemque est jus talem jurisdictionem, certis regulis, alteris delegandi.

Porro, ut huiusmodi delegationi, quae in vera concessione seu collatione facultatis consistit, locus proprie fieri possit, sive delegans sive delegandus — uti per se patet — nedum *scire debent*, sed etiam *actu advertere debent*, delegationem, de qua sermo est, esse prorsus necessariam ad validitatem actus, i. e. ad validitatem matrimonii.

Dari enim potest, et id rarum non est (vel saltem non fuit), quod ipsi legis praescriptum de re, in genere, non ignorent, et nihilosecius, de eo, habitualiter, vel non cogitent vel non recordentur, quia, eius momentum et essentialem gravitatem non tantum quantum convenit pensantes, ipsi eidem observando, singulis in casibus, sedulo ac perspicue non attendunt.

Bene, proinde, Auctores cum jurisprudentia Rotali docent non modo notitiam praehabitam, ex parte Ordinarii vel parochi competentis, de matrimonio tali die, ac in tali ecclesia in eorum territorio sita, per certum quemdam sacerdotem celebrandum, nullo modo aequiparari posse, sic et simpliciter, facultatis concessioni, sed nec sufficere, per se, ad talem concessionem constabiliendam, praedictorum tacitum consensum vel genericum beneplacitum, imo pro aequipollente concessione teneri non posse eorumdem interventum physicum ipsi ritus nuptialis celebrationi. Nisi — uti par est — aliunde constet, modo certo, et delegationis necessitatem utrique (idest, deleganti et delegando) notam fuisse, et ab utroque fuisse actu recogitatam: puta, si tam parochus quam sacerdos assistens de huiusmodi, paulo ante, cum tertiis personis colloquuti fuerint, et deinde una simul ad caeremoniam amicaliter intervenerint, et ita porro. Non enim, ad hoc ut licentia seu delegatio huiusmodi verificetur, et valida sit, oportet quod explicitis *verbis* sit data, sed sufficit ut, concludentibus et *non ambiguis* signis, a concedente sit manifestata, et a recipiente sit acceptata.

Acceptationem quod attinet, ipsam ad validitatem requiri (nisi agatur de inferiore relate ad Superiorem, vel de sacerdote qui petivit

delegationem, sed nondum recepit concessionis notitiam; hodie, ob oculos habita doctrinae et jurisprudentiae substantiali concordia, pro certo tenendum est: *misso*, nempe, quoad hos, *quocumque dubio juris*. Quod strenue demonstratur in una *Pompejana*, n. m., coram Wynen, diei 30 julii 1941: ubi, inter alia, recensitis prius sententiis concordibus acceptationem delegandi ut essentialem requirentibus, auctoritate suffultis auctorum magni nominis (Sanchez, Schmalzgrueber, Pichler, Gasparri, Wernz-Vidal, De Smet, Cappello etc.), et relevato momento et practico effectu tot ac tantorum concordiae, etiam adnotatur Ludovicum Engel (Collegium univ. jur. can., lib. IV, tit. III, n. 17) contrarium defendisse. Et additur peropportune: « Contradiceret autem omni sano et scientifico progressui, sicut omnium scientiarum, ita etiam juris canonici, si aliquis auctor, mortuus anno 1674 (scilicet Engel) semel pro semper impedire posset efformationem doctrinae communis, quae in jure canonico tanti momenti est. Multo minus in re praesenti hoc admitti potest, nam interea, post mortem auctoris Engel, declarationes authenticae Sacrae Congregationis Concilii notae factae sunt, ab AA. posteribus in decidenda quaestione adhibitae; accedit quod AA., qui novum Codicem interpretati sunt, sub oculis S. Sedis egerunt, atque, sive explicite sive implicite, recesserunt a doctrina auctoris Engel ».

Iterumque in citata sententia adnotatur cl. Gasparri (cuius auctoritas peculiaris in canonibus Codicis redigendis commentandisque neminem latet) « sententiam de necessitate cognitionis et acceptationis licentiae habere uti certam » (cfr. Decis. S. R. R., a. 1941, vol. XXXIII, pp. 747-48-49, passim, ac praesert. p. 570, n. 44; plene concordat dec. I, a. 1943, coram Grazioli, videntibus quinque, in qua legitur: « Semel autem concessa delegatione, cognoscatur oportet, et praesertim acceptetur a delegando »: vol. XXV, p. 5, n. 6).

Sed cl. Gasparri, quamquam personaliter habuit *certam* talem sententiam, putans nihilominus adhuc subsistere dubium juris, propter contrariam Engel opinionem, scripsit etiam: « stante controversia, in praxi, si agitur de matrimonio contrahendo, tutior sententia tenenda est, si de contracto, favendum matrimonio, donec Sancta Sedes aliud declaraverit » (De matr., 1932, p. 116, n. 952). Quod, *si dubium juris adhuc subsistere teneri deberet*, plene sustineretur.

Utcumque, acceptari non possunt ea quae Patroni actoris de re scripserunt: « Atqui, S. Sedes istud aliud declaravit, nam S. R. Rota (quae est Tribunal ordinarium S. Sedis, et venit sub nomine S. Sedis, ad normam can. 7) jam pluries declaravit illam distinctio-

nem inter matrimonium contrahendum et matrimonium contractum sustineri non posse, utpote irrationabilem »: nam, ex una parte nemo non novit Sanctam Sedem suas decisiones, vel decreta, vel interpretationes authenticas, *numquam* edidisse per Sacram Rotam (in qua simpliciter jurisprudentia judicialis, i. e. rerum similiter judicatarum vis atque auctoritas, efformatur), sed per alia organa, naturae administrativae; et, ex alia parte, nullibi, in decisionibus Rotalibus, distinctio illa, a Gasparri adhibita, ut *irrationalis* refutata fuit: etsi in una *Pompejana*, supra citata, asseritur distinctionem illam haud facile componi posse cum opinione eiusdem A., qui *certam* expresse proclamat sententiam de necessitate acceptationis ex parte delegandi (si tamen subditus delegantis non sit, et nullo modo petiverit).

Sed, pariter acceptari non potest id quod in Restr. pro conventa scriptum invenimus: « Expressa acceptatio non requiritur. Et merito: semper autem delegatio acceptata censetur, quando delegatus revera assistit matrimonio ».

Transeat, si petiverit. At, si non petiverit, eo quod ignoravit prorsus, vel nullimode advertit, se tali licentia indigere, vel, si licentiam ultro concessam expresse respuit (ut puta: parochus sponsae qui nolit jura temporalia — quemadmodum cl. Gasparri fingit — dividere cum parocho territorii in quo celebratio contingit), tunc, quomodo relata Patroni conventae assertio adhuc defendi posset?

Denique, ne excidat quod sacerdos delegatus ad assistendum certis nuptiis non potest, regulariter, alium subdelegare, ut sua vice adsistat. Id clare docetur a Gasparri: « Si autem quaeras num sacerdos delegatus possit alium sacerdotem subdelegare, respondemus posse, si haec subdelegandi potestas *expresse a delegante fuerit* delegato commissa ecc. » (o. c., n. 953).

Et de doctrina, quae formam canonicam respicit, nihil aliud addendum esse Patres rati sunt, cum ea, quae a praecedentibus sententiis, et a Patronis et a Defensoribus vinculi exposita sunt, satis superque sint pro casu solvendo.

At, Patroni actoris nonnullas alias quaestiones excitarunt, quas solvere bonum erit.

In primis, conqueruntur de actus formalis defectu, ex parte Defensoris vinculi Rotalis, vi cuius se prosequi velle declararet actum appellationis a D. V. tribunalis F. positum, pro sua conscientia.

At, juxta consuetudines in Rota vigentes, iste actus formalis prosequendae appellationis, ex parte D. V., non stricte requiritur, et causa semper pendere censetur (de causa nullitatis vinculi dici-

mus), donec de *expressa* appellationis desertione vel revocatione constet.

Nec praescriptum est a lege quod D. V. motiva statim exponere debeat, quorum gratia in appellatione insistendum censet. Patebunt haec in Animadversionibus, quas tempore debito exarandas curabit.

Secundo, defendunt Patroni praescriptum can. 1987 nequaquam Defensorem vinculi dispensare a terminis et formis pro appellatione, vel appellationis prosequutione, statutis, et, aliunde, pro actu prosequutionis teneri non posse illud « Nihil obstat », datum die 8 maji 1954, i. e. transactis quadraginta et unum diebus ab appellatione interposita a D. V. tribunalis F.

Sed perperam haec obiiciuntur. Etenim, in causis de statu personarum, et, in genere, de bono publico agentibus, numquam termini a jure praescripti ita firmiter et peremptorie urgent, ut in ceteris de rebus privatis pertractantibus. Iniquum prorsus esset, in causa nullitatis vinculi, reiicere appellationem cuiuscumque, qui se gravatum sentiat, solummodo quia exhibitam, verbigratia, duodecimo die a praecedentis sententiae denunciatione elapso.

Nec obliviscendum est, quin imo *maxime* relevandum, non a die emissae sententiae, neque a die redacti actus appellationis, currere tempus ad appellandum, vel ad prosequendam appellationem: sed solummodo a die notificatae sententiae, vel a die notificati actus appellationis. Quoadusque, enim, D. V. tribunalis, ad quod, notitiam non habeat interpositae appellationis a D. V. tribunalis, a quo, quid prosequi posset, et quo jure?

Utrum, vero, illud « Nulla-osta », a Defensore v. Rotali in actis positum, sufficienter exprimat voluntatem invocandi ministerium judicis ad sententiam praecedentem reformandam, est quaestio facti, de qua infra videbimus.

Tertio. Patroni actoris sustinent beneficium patrocinii gratuiti parti conventae datum fuisse indebite, eo quod altera pars prius audita non fuit, et, ex parte Promotoris justitiae, votum non favorabile prolatum fuerat.

Sed interpellatio illa, in similibus alteri parti deferenda, juxta art. 178, § 1, Normarum S. R. R., est quid simpliciter indicativum, et non absolute praeceptivum, ut ex ipso textu eruitur. Unde, prae oculis etiam habito praescripto can. 1655, § 2, in hisce causis de bono publico semper arbitrio Judicis est relinquendum — quibusvis inauditis vel cuiuscumque voto non auscultato — parti carenti, vel ad retribuendum se imparem dicenti, defensorem ex officio adsignare, et etiam habenti alium adiungere. Maxime, ubi pars certandum esse teneat pro vinculo, in cuius favorem stat praesumptio

juris: quae quidem in sua firmitate et in suo robore permanet, quoadusque contraria sententia, nullitatem statuens, legitime executioni demandata fuerit.

Quarto: Patroni iidem sat miram quaestionem provocare sategerunt, defendentes quod actor, in casu, « fuit actor in causa coram tribunalibus primi et alt. gradus sed non potest amplius dici actor in praesenti judicio (i. e. in praesenti judicii instantia) ».

Et ratio haec datur: « Regulare judicium evolutum est per duas instantias... post alteram sententiam juxta communem legem, jus saltem potentiale competivisset Hermanno transeundi ad novas nuptias: e contra, ipse raptus est qua conventus in novum (!) judicium, ortum ex gravamine irregulari etc. ».

In hisce, profecto, nec pauci nec leves errores juris continentur, quos relevare oportet atque corrigere.

In causis, enim, de nullitate vinculi, pars actrix illa est et constanter remanet, quae vinculum annullandum assumit: cui unice competunt, in quolibet judicii stadio, et in omnibus gradibus (qui non necessarie duo vel tres esse possunt, etiam si sententiae contra vinculum semper prodierunt), officia et onera actoris. Inter quae, illud eminet de probando assumpto et de solvendis, si et in quantum, judicii expensis.

Adducitur axioma: « Appellans fit actor », quod in praesens Defensori vinculi aptari vellet. Sed injura prorsus. Nam, si Defensor vinculi actor non fit cum, vi muneris sui, appellare *debet* (c. 1986) post primam de nullitate sententiam, non intellegitur cur fieri deberet actor, quando, juribus et *officiis* gravissimis, de quibus in can. 1987, utens, ulterius appellandum esse aestimat pro tuitione sacri vinculi. Relatio processualis, per hanc ulteriorem appellationem, nullimode mutatur: non Defensor vinculi quempiam in jus vocat, sed pars actrix compartem in jus vocavit; vinculi autem tutor, per appellationem in quovis gradu repetitam, nihil aliud efficit nisi ut relatio, olim exorta inter partem actricem et conventam, adhuc prosequatur: usque ad consecutionem, nempe, rei quasijudicatae.

Ne dicatur actor, post alteram de nullitate sententiam, juxta « communem » legem, jus quodcumque adipisci transeundi ad novum matrimonium. Nam non existit lex, nec communis nec non communis, quae *simpliciter* parti tribuat jus novum matrimonium contrahendi post alteram de nullitate sententiam, sed existit lex vere communis et generalis, per quam praedictum jus tribuitur partibus « si Defensor vinculi in gradu appellationis, pro sua conscientia, non crediderit esse appelladum » (c. 1987). Et id, pro defensore vinculi, ut jam notavimus, non simplex jus est, sed etiam gravis-

simum officium, non abnorme, non extra ordinem et communem regulam, sed prorsus ordinarium, commune et regulare.

Tandem, Patroni defendunt actori competere beneficium patrocinii gratuiti: sed condiciones a jure praescriptae, pro tali concessione facienda, subsistere non probatur.

In facto. - I. - Dato etiam et non concesso quod termini pro appellatione interponenda, eaque prosequenda, in causis matrimonialibus, ita urgeant, prout in ceteris, remanet, utcumque, quod D. V. Rotalis, in praesens, appellationem in trib. F. instauratam intra terminos praescriptos, pariter intra fatalia, absque dubio, prosecutus est. Acta, enim, Romam pervenerunt die 7 aprilis 1954; die 20, Turnus constitutus est; die 27, a R. P. D. Ponente acta Defensori vinculi transmissa sunt. Igitur, hac die tantummodo, Defensori vinculi S. Rotae innotuit appellatio in tribunali F. interposita, et numquam innotuisset, si numquam ei communicata fuisset. Quo jure praetenditur terminum triginta dierum, pro D. V. Rotali, currere incoepisse a die instauratae appellationis, et non a die notificationis? Quid juris, si appellatio in trib. F. facta, post trimestre, verbigratia, vel post annum (sicut in aliis casibus contigit), nota facta fuisset? Numquid, hisce in casibus, Defensor vinculi S. Rotae legitime accusari posset de fatalibus non observatis?

De facto, ut ipsi Patroni sciunt et affirmant, Defensor vinculi Rotalis, sub die 8 maji, idest *undecim* tantummodo diebus a notificatione elapsis, scripto declaravit: « Nihil obstat... quominus procedatur ad ulteriora ».

Quid haec verba exprimant, non dubium est. Procedere ad ulteriora, in casu, idem est ac pergere in tractatione causae. Nullus alius sensus rationabiliter admitti posset, nec quavis lege praescribitur — ut notatum fuit — quod motiva ulterioris tractationis faciendae illico exhibeantur.

Legitimam ergo fuisse, in casu, appellationem a Defensore vinculi tribunalis F. interpositam, et intra fatalia a Defensore vinculi S. Rotae prosequutioni traditam, Patres pro certo tenuerunt ac decreverunt.

II. - Item, ex notionibus juridicis supra expositis, edixerunt Domini huius causae verum et unicum actorem esse Hermannum Carbossi, cum omnibus juribus et officiis, ac partem conventam esse Lydiam Bini.

Quoad gratuitum patrocinium, ab actore imploratum, cum constet eum fructuoso munere esse occupatum, causa concedendi deest.

Quoad idem beneficium parti conventae concessum, id, ob jam supra adnotata, legitime concessum fuisse (etiam missa quaestione de paupertate requirentis) Patres pronunciarunt.

Utique, ob mendacia a muliere in judicio prolata, et a testibus ipsi faventibus (ut infra videre datum erit), eius bonum jus, ab initio praesumptum, adhuc sustineri non posse visum est: nihilominus, DD. Judices, condicionem mulieris, in provecta jam aetate mariti auxiliis destitutae, considerantes, beneficium legitime ei datum confirmandum esse tenuerunt, et de facto, per praesentem sententiam, confirmaverunt, non obstante praescripto art. 182 Normarum S. R. Rotae.

III. - Sive ex parte Defensoris vinculi, sive ex parte advocatorum actoris, querelae multiplices agitatae sunt de violentia et excessu verborum, quem unusquisque in partem adversam reiicit.

Imo, praefati Patroni vellent ut nonnullorum, in Animadversionibus contentorum, expunctio decerneretur.

Equidem — Patres edixerunt — eloquium aliquantum mitius, et hinc et inde, magis laudabile fuisset: siquidem, quod verbis interdum non gratis, saltem, expressum fuit, poterat, pari efficacia, per humaniora significari. Non autem Patres quidquid expungendum decernere rati sunt, quippe qui certissime aestimaverunt atque aestimant voluntatem offendendi et humiliandi in utraque parte defuisse, ac solummodo propter zelum suscepti muneris nonnulla audaciora, forte, e calamo cecidisse.

IV. - Dolendum esse de praesenti mulieris conventae condicione, magisque de futura, nemo non agnoscere potest. Id multi persentierunt, inter quos et Defensores vinculi uniuscuiusque instantiae praesertim adnumerandi sunt, et Patroni conventae: qui omnes laudabiliter, pro posse, certarunt in vinculi defensionem, ideo in affirmandam existentiam legitimae et validae delegationis in sacerdote nuptiis assistente.

Sed etiam dici debet, et in obsequium veritatis agnosci, quod, sive ex pietate in mulierem, sive ex aliquo nimio obsequio erga sacerdotes, de quibus amplior sermo redibit, complura dicta fuerunt, currente hoc judicio, pariterque acta, quae nullo modo sustineri possunt: quorum vi, et nonnulla indebite exaltando, et alia deprimendo vel attenuando, confusionem et incertitudinem spargere tentatum est, dum, e contra, omnia plane clarescunt, ubi aequa ac serena luce inspiciantur.

V. - Unde, tempus jam est quod sive personis in hac causa comparentibus, sive rebus, proprium assignetur nomen et titulus, sine mitigatione quacumque, et quibusvis exceptionibus sepositis: non quidem — uti par est — ad improperandum, vel ad injuriam cuique inferendam, sed ad id quod verum est, in Domino, simpliciter declarandum, idest ad onus justitiae, quantum fieri potest, solvendum.

Scripserunt, inter alia, praeclari Tribunalis F. Judices, ac veluti in capite tractationis relevandum curarunt: « Testes principaliores, scilicet rev. Carolus, rev. Tori, rev. Rolli, sunt certe fide digni, quatenus charactere sacerdotali insigniti ».

Sed contrarium, omnino, vi actorum, affirmandum ac tenendum est.

Idque fulcrum praesentis sententiae haberi debet, ac petra angularis, qua innititur. Non equidem. Nos Judices eos fide indignos declarare cogimur, sed iidem nominati sacerdotes seipsos, proprie suis ipsissimis verbis (ut mox ostendetur), damnant ac deprimunt: numquam inter se cohaerentes, sibimet in una eademque depositione contradicentes, suipsius salvandi, potius quam veritatis, anxii ac satagentes.

Relevatur, in praelaudata sententia secundae instantiae, eorum character sacer, et, passim, in aliis actis, eorum doctrina, eorum zelus, eorum integra vita. Libenter adnuimus: haec autem parum conferunt thesi de concessa debita delegatione, nec satis sunt ad eos absolvendos a gravissimis perpetratis erroribus, et a verbis contradictoriis in judicio prolatis.

VI. - In ignorantia legislationis vigentis super forma canonica, eminet, tamquam facile princeps, rev. Rolli, parochus S. Maximi, i. e. parochus sponsae domicilii, qui praecipuus confusionis auctor exhibetur, sive in matrimonii celebratione, sive in causae huius instructione. Enimvero:

1) - Iste non modo, contra inambiguum sacrorum canonum sensum (quem numquam cognovit, vel non intellexit, vel posthabuit), *constanter* praetendit sibi spectare jus et officium delegandi sacerdotes, ad adsistendum matrimoniis suorum fidelium, etiam extra suae paroeciae territorium, sed etiam, contra leges vigentes, *constanter* praetendit matrimonia, ita celebrata, in libris propriae paroeciae inscribere, ac mittere alterum originale instrumenti peractae celebrationis ad Municipium, pro effectibus civilibus matrimonii consequendis: quod, tamen, relate ad matrimonium de quo agimus, *non* intra quinque dies, sicut lex Concordataria gravissime praecipit, *sed tantum mense octobri 1936*, exsecutus est.

Dum, e contra, nullum aliud jus parochus iste habebat, in casu, nisi concedendi licentiam Parocho S. Clementis, in cuius territorio matrimonium celebrandum erat, eidemque transmittendi (quod etiam suum *officium* erat) omnia documenta matrimonium spectantia, ad normam can. 1097, § 1, n. 3, C. J. C., et ad normam art. 23 Instructionis S. C. de Sacramentis, datae die 1 augusti 1930, in exsecutionem art. 34 Legis Concordatariae.

2) - Cuncta haec ignorasse vel neglexisse rev.dum Rolli, et quidem *habitualiter*, ex tabulis pacifice probatur. Etenim, etiam pro matrimonio sororis Conventae, quod, nonnullis ante annis, in eodem oratorio « del Soldato », per ministerium eiusdem rev.mi Caroli, similiter celebratum fuerat, eodem prorsus modo rev. Rolli se gessit, ita ut matrimonium illud in radice sanari debuerit.

Nec satis: nam etiam sanari debuit in radice matrimonium alius puellae, paroeciae S. Maximi, et ideo parocho Rolli subiectae, praecise quia parochus iste eius matrimonio adsistere praesumpsit in ecclesia paroeciali S. Francisci, absque delegatione parochi competentis. Et cum rev. Rolli, propter hoc facinus, a Vicario Generali graviter objurgatus est, maximam admirationem pandit!

3) - Unde, mirum non est quod in instrumento peractae celebrationis, quoad matrimonium in themate, rev. Rolli, qui illud, contra jus, redigere praesumpsit, scribere potuit contrahentes, ad promendum sacramentalem consensum, comparuisse in ecclesia « del Soldato », die 8 januarii 1936, hora decima, « innanzi a me, mons. Carlo... delegato per questo atto dal parroco di S. Massimo ».

Hoc esse documentum publicum a nemine impugnari potest (can. 1813, § 1, 4°); hoc idem esse genuinum, et jure praesumitur et pro certo habendum est, nam contrarium nec probatum fuit, nec, cogentibus argumentis, assertum (c. 1814), unde, sine ambagibus, etiam affirmari debet tale documentum fidem facere de iis, que directe et principaliter in eo affirmantur (c. 1816). Quae, in casu, sunt:

a) - Matrimonium inter Hermannum et Lydiam celebratum fuisse in urbe, die 8 januarii 1936, hora decima;

b) in oratorio « del Soldato », quod situm novimus non in territorio paroeciae S. Maximi, sed in territorio paroeciae S. Clementis;

c) - per ministerium sac. Caroli, delegati *non* a parocho S. Clementis, sed delegati a parocho S. Maximi, i. e. a rev. Rolli; qui et instrumentum celebrationis peractae redigere et subscribere praesumpsit.

4) - Nulla rationabilis exceptio, evidentissime, moveri potest contra fidem documenti huius publici, tempore insuspecto redacti, et quidem redacti eodem substantiali modo, ac instrumentum alius matrimonii (i. e. sororis Conventae), pariter nulliter celebrati, ex eodem capite.

5) - De cetero, quaenam fuerit *mens.* rev. Rolli, in conscribendis verbis illis: « delegato per questo atto dal parroco di S. Massimo », etiamsi de se non pateret, in evidentiam maximam ab ipso eodem Rolli positum est: sive per generalem suum agendi modum

de quo dictum fuit, et per admirationem, quam ostendit cum a Superioribus obiurgatus fuit; sive per depositiones in hoc judicio redditas; nam, plus quam una vice clarissime admisit se facultatem dedisse rev.mo Carolo, eo quod tale jus sibi tantum competere aestimavit. Pretium operis erit heic referre multiplices atque inconstantes eius assertiones (quas ipse idem — *notetur* — de contradictione arguit!), e quibus, quaevis ex eis praeferatur, indubie nullitas sequitur delegationis, quam ipse concedere praesumpsit. Dixit itaque, die 12 martii 1951, cum prima vice judicialiter excussus fuit:

« Sì, detti io verbalmente la delega al can. Carlo, per assistere canonicamente al matrimonio Carboni-Bini... io concessi la delega, e credei di concederla, *perchè pregato dalla madre della sposa*. La cappella del Collegio del Soldato appartiene alla parrocchia di San Clemente.

Sapevo che era necessaria la delega del parroco di San Clemente, e, avendo incontrato quel parroco, gli chiesi se avesse nessuna difficoltà a che fosse celebrato il matrimonio della mia popolana nella chiesa del Soldato. Egli non ebbe difficoltà. Io con lui *mi limitai soltanto a questo, e non specificai di più*. Essendo *poi* venuta da me la mamma della sposa, manifestando il desiderio che benedicesse le nozze il can. Carlo, *io mi credei autorizzato a delegare il medesimo* ».

Quo jure? Etiamsi negocium sic, ut loco mox citato describitur, factum est, indubie matrimonii nullitas secuta est (cfr. quae in jure exposita sunt de nullitate subdelegationis, quando expressa subdelegandi facultas petita non fuit).

Adhuc: « Ritengo — dicit rev. Rolli — che, dal fatto che tale matrimonio risulta annotato nei libri della parrocchia di San Massimo, si debba dedurre che fu il parroco di tale parrocchia a dare la delega per l'assistenza al can. Carlo.

Questo parroco sono io ».

Nescimus quid amplius quidve clarius, ex parte rev. Rolli desiderari posset, ad evincendum delegationem, in casu, datam fuisse ab eo, et non a parocho competente. Si enim delegationem parochi S. Clementis prorsus essentialem rev. Rolli aestimavisset, de ea, certo certius, in redigendo documento peractae celebrationis, mentionem fecisset, prae mentione alius, ad liceitatem simpliciter requisitae.

6) - Sed multo antea, sub die 25 junii 1949, cum, nempe, quaestio de probabili huius matrimonii nullitate agitari incoeperat, rev. Rolli declarationem quamdam subscripserat sequentis tenoris, videlicet: « Il sottoscritto sac. Orlando Rolli... dichiara che, sebbene

all'atto di matrimonio... sia stato detto che il can. Don Carlo era « delegato per questo atto dal parroco di S. Massimo, il sottoscritto voleva con ciò intendere « delegato dal parroco di S. Clemente, al quale era noto il matrimonio, e che verbalmente al sottoscritto dette questa delega ».

Misso quod exegesis huiusmodi, quae insipientissime imponi tentatur per hoc documentum, simpliciter reiicienda est ut gratuita, irrationalis et vim textui afferens, remanet quod, etiam post tam miram interpretationem, non intellegitur an parochus S. Clementis facultatem dederit rev.do Rolli, vel isti commiserit facultatem rev.do Carolo notificare.

In judicio alterius instantiae, rev. Rolli, denuo excussus die 30 junii 1953, haec inter alia confessus est: « Io ritenevo che, essendo la sposa mia parrocchiana, io potessi seguirla anche fuori di parrocchia, con la registrazione del matrimonio nel mio libro, e anche concedendo la delega a un altro sacerdote. Consideravo che si dovesse, bensì, avvisare il parroco del territorio della celebrazione, ma ciò per chiedere il suo « *nulla-osta* », *peraltro non necessario per la validità del matrimonio stesso* ».

Id igitur scivit, id tenuit rev. Rolli, idest praecise contrarium ac lex, de huiusmodi, sub invaliditatis poena, absolutissime mandat.

7) - Hoc posito, supervacaneum prorsus fit inquirere an ipsi, vel alii, de eius mandato, cum parocho S. Clementis de hoc celebrando matrimonio colloquuti fuerint: nam, dato et concesso, sensus talis praetensi colloquii in aperto est: nempe, voluerunt legati isti nihil aliud petere a parocho S. Clementis, nisi id quod rev. Rolli in mente habebat et petendum suggesserat, scilicet illud « *nulla-osta* », *peraltro non necessario per la validità del matrimonio stesso* » (cfr. supra).

Ex his, jam patet quae ratio facienda sit, seu quo sensu accipi debeat praetensa facultatis petitio, a matre conventae, simul cum filia Margarita et amica Zara, parocho S. Clementis, in sacristia ecclesiae S. Clementis, exhibita, et a parocho eodem concessa. Si tamen umquam exhibita fuit! At, de hoc fusius infra.

Item patet valor postremae depositionis conventae, diei 3 maji 1955, in qua legitur: « La richiesta della delega fu suggerita dal parroco Rolli... *Credo* che mia mamma abbia pensato ad informare don Carlo dell'ottenuta delega per benedire il matrimonio.

Penso che la mamma abbia comunicato l'ottenuta delega da parte del parroco di S. Clemente. Quae non modo contradicunt depositioni rev. Rolli, quam supra retulimus, sed etiam ipsius conventae primae depositioni, in qua scriptum est: « *Non mi sono informata* su chi avesse dato a mons. Carlo la delega di assistere al

mio matrimonio »; et alteri (diei 1 jul. 1953), in qua legitur: « Io richiesi al parroco di S. Clemente se ricordava di aver dato la delega a mons. Carlo, per la celebrazione del mio matrimonio. Egli, dopo che io gli ricordai alcuni particolari, si sovvenne di un colloquio avuto con mons. Carlo, relativo al permesso da lui concesso ».

At, si hoc modo res se habuerunt, cur rea conventa in primo examine dixit: « Io non mi sono informata ecc. » (cfr supra), et in tertio: « Credo che mia mamma abbia pensato ad informare mons. Carlo ecc. »?

Et quomodo rev. Rolli mitere potuit matrem conventae ad parochum S. Clementis, *ad petendam delegationem pro rev. Carolo*, si ipse idem Rolli, et verbis et factis, ostendit se necessitatem talis delegationis parochi territorii constanter ignorasse prorsus?

Unde, rea conventa non talis mulier est, cuius verbis fidere possimus: quippe quae varia, vacillans, ac veritatis non amica exhibetur.

8) - At, quod magis deplorandum est, ipse rev. Rolli veritatem offendere non veretur, in pluribus quidem, sed praesertim cum, in postremo judiciali examine (3 maji 1955), dicere audet:

« Sono certo in coscienza che mons. Carlo abbia ottenuto regolare delega dal Parroco di San Clemente... Io personalmente non l'ho chiesta, però, a titolo di cronaca, l'ho informato che il matrimonio si sarebbe celebrato nella Cappella del Soldato, ed egli rispose che era già a conoscenza, *avendo dato la delega alla madre* ».

Si hoc verum est, ei remanet explicandum cur id non revelaverit in praecedentibus examinibus, et cur semper declaraverit se *necessitatem delegationis* parochi S. Clementis non cognovisse, et cur, in redigendo instrumento peractae celebrationis, mentionem fecerit de delegatione *a se data*, et *non* de delegatione concessa a parocho S. Clementis per matrem conventae.

Unde, cum Judex eum improperasset de tanta in deponendo varietate, humiliatus tacere debuit, et Judex ut scriberetur mandavit: « Il teste s'è chiuso nel silenzio, e non ha risposto ».

9) - Egr. Defensor vinculi, ad vim extenuandam eorum, quae in instrumento celebrationis continentur, scribit, in accessu judiciali ad paroeciam S. Maximi, originale instrumenti illius inventum non fuisse, sed simplicem notam in illis libris contineri, cuius textus refertur in fasciculo Supplet. Instructonis.

Et addit: « Ideo, documentum, quod magni faciunt sententiae primae et alterius instantiae, est prorsus falsum, quia ex arte exaratum pro hac causa matrimoniali, quoad formam attinet ».

Quod difficile intellectu est. Si enim originale illud in libris non invenitur inscriptum, ex hoc non sequitur in archivo paroeciali

S. Maximi illud non existere. Secus, ille qui redegit exemplar actis adquisitum, ubi et quomodo notitias hausisset, quae in hoc exemplari continentur (verbigr., generalia contrahentium, et item generalia et domicilium eorum parentium, generalia et domicilium testium etc.)?

Relevetur, insuper, exemplar, de quo sermo est, adamussim formulam reproducere, quam pro redigendo instrumento celebrationis lex Concordataria et subsequentes Instructiones auctoritatis competentis adhibendam mandaverunt. Certissime, per talem formulam redactum fuit alterum originale, ad Municipium missum: secus, Officialis status civilis matrimonium non inscripsisset pro effectibus civilibus consequendis.

Ideo, *falsitas* huius documenti, a Defensore vinculi absque solidis argumentis asserta, sustineri non potest.

10) - Sed, etiam in hypothesi quod non ad instrumentum istud attendi debeat, sed tantum ad notulam in libris paroecialibus S. Maximi inventam, ad eamdem, quoad defectum debitae delegationis, conclusionem pervenitur.

Quid enim declarat haec notula? Ecce: « Oggi, 8 genn. 1936, ho unito in matrimonio, *delegando mons. don Carlo Carboni*, Ermanno... e Lydia Bini... Il matrmonio ha avuto luogo nella chiesa del Soldato, e per delega del parroco di S. Clemente. Don Orlando Rolli ».

At, Curiae Cancellarius peropportune, post exemplar notulae ab eo redactum, et S. Tribunali delatum, adnotavit: « Le parole: *il matrimonio ha avuto luogo nella chiesa del Soldato, e per delega del parroco di S. Clemente*, è scritto con inchiostro differente e in epoca posteriore... ».

Peropportune, inquimus, Cancellarius id scripto declarandum curavit: a) - quia id veritati respondet inoppugnabili; b) - quia, si verba illa usque a die matrimonii in libro scripta fuissent, certissime sub initio causae notula producta fuisset, et causa de vinculi nullitate, ob defectum formae canonicae, ne ortum quidem habuisset!

Ceterum, qui, *inconsulte prorsus*, verba illa finalia relatae notulae addere ausus est, vel incapax fuit advertendi verba superaddita cum verbis ab initio positis aperte pugnare!

Unde Judex de huiusmodi rev.dum Rolli interrogare voluit, et incautus iste respondit: « Io non mi ricordo se queste parole siano state aggiunte posteriormente alla redazione dell'atto ».

Ita! Si, autem, hoc mendacium et perjurium non est, dicatur quoque perjuria ac mendacia in mundo non existere

VII. - Non longe dissimilior condicio est rev.mi Caroli et parochi S. Clementis, ut jam supra innuimus.

R.mus Carolus bis in judicio deposuit; insuper declarationi cuidam dactylographice conscriptae suum nomen apposuit (de qua sermo redibit), et memoriale redegit, quod exhibitum fuit simul cum novissimo Summario pro conventa.

De hoc memoriali, cito sese expedierunt Patres decernendo illud ex actibus expungendum esse: siquidem, et cum depositionibus eiusdem testis aperte pugnat, et, saltem in maxima parte, confectum apparet a persona, quae, dum scribit, non est compos sui.

Sucus depositionum rev.mi Caroli ad hoc reducitur:

a) - Ipsum collocutum fuisse cum parocho S. Clementis de matrimonio celebrando in oratorio v. « del Soldato », sed *non* intendisse, per colloquium huiusmodi, expetere delegationem.

b) - Ipsum familiares Bini admonuisse de omnibus rite disponendis, sed *generice*, non specifice quoad delegationem petendam.

Cum, ergo, interrogatus a Judice: « Il teste sapeva che occorreva chiedere la delega, per assistere a quel matrimonio, al parroco di San Clemente, e non a quello di San Massimo? », repondit: « Sì che lo sapevo, ma i Bini mi avevano detto che tutto era in regola », tale eius responsum intelligendum et interpretandum est nonnisi sub luce alterius testis depositionis, in qua pluries dixt se genericas admonitiones dedisse, numquam de obtinenda delegatione parochi S. Clementis expresse cogitans.

Aliunde, valde dubitamus rev.mum Carolum, tunc temporis, de necessitate delegationis ex parte parochi territorii edoctum fuisse, nam in errorem prorsus similem inciderat matrimonio adsistens, aliquot ante annis, cuiusdam sororis reae conventae, et invalide quidem, propter *identicum* formae vitium.

Igitur, vel ignoravit legem, vel ad eam non attendit: quod, in praxi, unum idemque est, saltem ad effectum qui hac causa consequendus intenditur. Nihil enim efficit *status scientiae*, seu cognitio legis, nisi etiam concurrat *status mentis*, seu actualis advertentia legis, huiusque vis irritandi actum contrarium.

Quam advertentiam (saltem!) in rev.mo Carolo defuisse, ex eo etiam legitime depromitur, quod subscripsit instrumentum celebrationis in quo celebrans dicebatur « delegato per questo atto dal parroco di S. Massimo ». Subscripsit, nihil obiiciens, ideo recte praesumitur eum ignorasse, vel *non advertisse* necessitatem delegationis ex parte parochi S. Clementis, et contentum extitisse de habita (invalide quidem) a parocho S. Maximi. Opportune heic citanda veniunt verba quae scripta reperiuntur in una Pompejana,

coram Grazioli, diei 25 maji 1942: « ...is qui subscribit formulam... praesumitur eamdem perlegisse, perpendisse, et tamquam veram acceptasse » (vol. XXXIV, p. 418, n. 12).

Idem, fere, judicium super parocho S. Clementis ferri debet. Prae primis, de suis officiis ac juribus, quoad matrimonia in proprio paroeciae territorio inita vel ineunda, se sat ignarum praebet.

Non enim exegit ut sibi ipsi, qua loci parocho, remitterentur omnia documenta matrimonium in themate spectantia, neque curavit ut matrimonium in libris suae paroeciae inscriberetur, et ne cogitavit quidem de onere gravissimo, quod ipsius tantum humeros gravabat, transmittendi alterum celebrationis originale instrumentum ad Municipium, juxta legis Concordatariae praescriptum. Et tamen, sub die 19 junii 1950, huic declarationi dactylographice conscriptae proprium nomen apponere non dubitavit: « In seguito alle circostanze particolareggiate, ricordatemi dai rev.mi mons. Carlo e don Orlando Rolli, ricordo che, nel periodo in cui fui parroco a San Clemente, mi fu parlato dai sacerdoti sopra ricordati, e concessi a viva voce la delega per il matrimonio che intendevano contrarre nella chiesa del Soldato i signori Carboni-Bini ».

At, post jam supra relata, et amplissime disceptata, de scientia atque advertentia rev.mi Caroli et rev.di Rolli, proprie non intelligitur quaenam esse potuerint illae « circostanze particolareggiate », quas praedicti sacerdotes in mentem parochi S. Clementis revocare potuerunt. Cur huiusmodi « circostanze particolareggiate » in judicio non retulerunt iidem sacerdotes, cum excussi sunt, quin imo ita mentem suam coram judice aperuerunt, ut quivis intellegeret eos de necessitate delegationis, ex parte parochi territorii, ne cogitasse quidem?

Jam ex hoc ipso deducitur declarationem mox relatam neque scienter neque conscienter a Parocho S. Clementis subscriptam fuisse, sed solummodo propter favorem erga requirentes. Quod, profecto, eius fidei et credibilitati non prodest.

Nec depositiones judiciales eiusdem mitius judicium reportant.

Prima vice (die 9 jai. 1951) excussus, dixit se certe notitiam habuisse, diebus antecedentibus, de huius matrimonii celebratione, at non recordari « se dal can. Carlo, o da altri per lui, mi si chiedesse la delega necessaria ». Id autem suam condicionem aggravat, non minuit. Nam, si certe inscius non erat, eo magis, pro ipso, onera supra descripta urgebant. E contra, interrogatus de motivis, ob quae matrimonium in libris suae paroeciae inscriptum non inveniatur, nullum afferre valet.

Dicit: « Faccio osservare che già in precedenza a me, parroco

di san Clemente, capitò il fatto che un matrimonio fu celebrato nella mia parrocchia, *a mia insaputa*, con delega della Curia ».

Sed inaniter prorsus haec proferuntur, nam nemo ab eo rationem quaerere potest, ac quaerere intendit, de matrimoniis, quae *eo inscio*, in territorio suae paroeciae forte celebrata fuerunt, sed *de hoc matrimonio, cuius celebratio certo certius ei tempestive innotuit.*

Dicit: « ...il puro fatto di sapere che un matrimonio veniva celebrato al Soldato non lo consideravo, per me, come una necessità *che io dovessi dare la delega* ». Transeat: sed considerare et exsequi debebat officium, *ipsi tantum incumbens*, inquirendi an et quis delegationem concessisset, et an documenta omnia, et cetera explenda, expleta de facto fuissent; insuper exsequi debebat onus exigendi inscriptionem matrimonii in propriis libris, et obtinendi alterum originale instrumenti celebrationis, ad Municipium, per eum. i. e. per parochum S. Clementis, *et non per alium*, transmittendi.

Altera vice excussus (die 26 eiusdem), ad instantiam Judicis, ipse idem agnovit, et juramento firmavit, declarationem diei 19 junii 1950, cuius contenta vidimus ac reiecimus.

Rursus, exquisivit ab eo Judex num delagationem dno Carolo dedisset, an dno Rolli, et respondit: « Non voglio dire una cosa per un altra. Non ricordo ».

Tandem, poscente Judice: « Ella dette la delega immediatamente al can. Carlo, oppure dette la delega al parroco di S. Massimo?

E se dette la delega al parroco di S. Massimo, gliela dette perchè assistesse lui al matrimonio, oppure perchè la comunicasse al can Carlo? », testis respondit: « Non ricordo con precisione come andasse la coas ».

Et nemo, reapse, rationabiliter praetendere posset quod parochus iste vividam servet memoriam de quodam matrimonio, in territorio suae paroeciae celebrato tot ante annis. Non id praetendi potest, non id praetenditur; sed jure praetenditur quod ipse non affirmet se recordari id quod revera non recordatur. Cur, si non recordatur, declarationem illam subscripsit et nunc juramento firmavit? Quid magis incongruum ac deplorandum?

In tertio examine (9 apr. 1951), adhuc clarius, parochus S. Clementis dicit se proprie *nihil* recordari eorum, quae Nostra in praesens intersunt.

Idest, nec recordatur dnum Rolli ei delegationem petivisse:

« Non ricordo di una delega a me richiesta dal parroco di San Massimo per il matrimonio Carboni-Bini »; nec recordatur an dnus Carolus similia ab eo requisiverit: « Posso dre soltanto che mi pare, ma non più che questo, che mons. Carlo mi dicesse che avrebbe

benedetto lui il matrimonio Carboni-Bini. Ripeto che non ricordo la richiesta specifica fatta da mons. Carlo ».

De cetero, depositio haec optime completur per ea quae ab ipso can. Carolo audivimus: se, quidem, collocutum fuisse, de matrimonio celebrando, cum parocho S. Clementis, *non autem ad delegationem petendam.* Et per ea, quae audivimus a dno Rolli: eum reputasse *sibi tantum spectare jus concedendi delegationem in casu.*

In subsequentibus examinibus (30 jan. 1953 - 23 jul. 1955), parrochus S. Clementis eadem, plus minus, declaravit: idest, se memoriam servare de matrimonio, et de colloquio cum rev.mo Carolo, relate ad hoc matrimonium, non autem de delegatione, quam praedictus, vel alii pro eo petivissent.

Igitur, reassumendo et concludendo: quamvis mentio delegationis indebitae et invalidae, in instrumento celebrationis contenta (« delegato per questo atto del parroco di S. Massimo »), excludere non valeat, per se sola, etiam delegationem legitimam intervenisse, tamen, cribratis attentissime omnibus et singulis, sive scripto, sive ore, a tribus pluries nominatis sacerdotibus affirmatis vel negatis, plene resultat:

A. - Rev.dum Rolli, *habitualiter* ac *invincibiliter* ignorando necessitatem delegationis ex parte parochi territorii in quo, atque falso aestimando sibi tantum competere jus delegandi, certissime a parocho S. Clementis delegationem nullam exquisivisse, nec exquirendam per alios curasse: et matrimonium in themate se, tamquam sui juris exclusivi esset, omnino tractasse: documenta illud respicientia apud se retinendo, instrumentum peractae celebrationis redigendo, istud in proprio archivo servando, alterum instrumentum originale ad Municipium mittendo, et, uno verbo, ea omnia et singula sibi indebite vindicando, quae parochi competentis sunt, dum ille, in casu, parochus competens non erat.

B. - Revdum Carolum de necessitate delegationis ex parte parochi ex territorio competentis saltem non cogitasse.

C. - Revdum parochum S. Clementis, qui parochus competens est, utique notitiam de matrimonio celebrando tempestive recepisse, sed de implendis iis, quae parochi competentis sunt, curam nullam de facto suscepisse.

Ex quorum summa (cum iis, quae ex textu instrumenti celebrationis eruuntur, cumulata), non modo praesumptionem vehementissimam exsurgere habendum est de non concessa et non petita delegatione a parocho competente, sed firamam certitudinem moralem.

VIII. - Attamen, silentio praeter nitti non debet quod in altera judicii instantia, die 20 octob. 1952, plures delarationes, dacty-

lographice redactas, is, qui tunc erat conventae Patronus, exhibuit addens singulos subscribentes paratos esse ad se sistendum coram Judice, ad proprium scriptum agnoscendum et canonizandum.

Subscribentes autem sunt: dna Margarita Bini, soror conventae (die 8 jun. 1952); Zara Tani, conventae amica (7 jun. 1952); Raphaela Bini, soror conventae (2 jun. 1952); Corinna Bini, mater conventae (8 jun. 1952); can. Carolus (20 mart. 1952); rev. Rolli (sine datatione); Parochus S. Clementis (sine datatione); Henricus Gilli, conventae amicus (4 maj 1952).

Inter hos, Margarita Bini, coram Judice non comparuit; ex ceteris, unusquisque, de facto, documentum, suum nomen afferens, uti proprium sub juramento a gnovit.

Nihilosecius, praeter ea, quae jam supra, data occasione, innuimus, non pauca et non levia obstant, generice ac specifice, ut his documentis fides praebeatur.

IX. - Generice, quidem, nam:

1. - Sero nimis producta sunt, imo sero nimis confecta: quod longe pejus est. Sunt quae, ex datatione quam referunt, confecta apparent mense martio vel mense junio 1952, cum causa haec ab annis pendebat: i. e., tempore ultra-suspecto. Cetera, quae datationem non exhibent, eodem prope tempore redacta jure praesumuntur.

Si tempore suspecto confecta, ocnsequenter nonnisi tempore suspecto in judicium afferri potuerunt. Jam ex hoc, eorum valor fere nullus est. Egregius Defensor vinculi et Patroni conventae, pro eorum munere, illa extollere satagunt. At, quid dixissent, si documenta, simili modo ac simili tempore, in favorem nullitatis vinculi, confecta fuissent, et in judicio exhibita ad militandum contra vinculum?

Fertur Ream conventam de his documentis conficiendis et exhibendis, tempore antecedenti, non curasse, quia securam se tenebat de sententia in favorem vinculi, et quia consiliis jurisperiti carebat; at, post primi gradus judicium, magis actuosam et satagentem devenisse in suis juribus tutandis.

Quae, tamen, simpliciter reiicienda sunt, praesertim propter sequentia motiva:

a) - Quia rea conventa, si notitiae in documentis descriptae verae sunt, eas, dum prima vice deposuit, ignorare non poterat, quia de rebus in sua familia originis gestis agitur: unde, saltem modo summario, de eis tunc loqui in judicio debuisset; e contra, nullum de his verbum protulit.

b) - Pluribus mensibus antequam libellus huius causae formaliter praesentaretur, instaurandae huius eiusdem causae notitia

pervenit — ut ex actis — et, jam tunc, sive a rea conventa, sive a notis sacerdotibus, colloquia et disceptationes de agendis et de dicendis, et scripto et ore, agitata sunt: ut quid, loco inutilium ac fatuorum scriptorum, quae tunc concinnata sunt, quaeque in actis legi possunt, tam pretiosa documenta, de quibus agimus, concinnata non fuerunt?

c) - Inter subscribentes documenta huiusmodi, recensuimus revdum Rolli, can. Carolum, et Parochum S. Clementis; at, si sacerdotes isti de rebus tam momentosis tantam scientiam habebant, curnam in judicio primi gradus eam non patefecerunt, et, e contra, tanta incertitudine et contradictione, quantam ostendimus, locuti sunt?

2. - Documenta omnia et singula, supra descripta, idem, concorditer, iisdem fere verbis, vel similibus admodum, repetunt, quasi ad modum cantici: ita ut redacta appareant ab una eademque persona, quae punctum juris probandum prae oculis habet, cuius probatio vult emergat ac fulgeat. Dixerunt, equidem, can. Carolus et alii se, propria manu, documentum exarasse, sed eis credi non potest: secus originale, et non exemplar dactylographicum, productum fuisset. Promisit mulier conventa, judice requirente, originalia se exhibituram. Sed, quae superfluis et non requisitis litteris et memorialibus, *usque ad hesternam diem*, Tribunal obruit, numquam, tamen, praesentavit scripta illa, quae requisita fuerant, quaeque dare promiserat.

X. - Specifice, insuper, notandum est:

1. - Mater conventae, et sorores Margarita et Raphaela, univoce referunt, in documento quod subscripserunt, sive rev.dum Rolli, sive rmum Carolum, de necessitate delegationis ex parte revdi Parochi S. Clementis, collocutos fuisse: unde, mater et Margarita soror reapse parochum S. Clementis adivissent et delegationem petivissent et obtinuissent: praesente quoque amica Zara Tami, cui per viam occursaverant, et quam comitem duxerant in accessu ad paroeciam S. Clementis.

Zara Tami, in documento a se subscripto, rem confirmat.

Sed ipsa mater, coram Judice, res omnes, quas a se scriptas dicit, confirmare non valuit. Similiter, Raphaela res valde attenuat in depositione orali.

Tandem, Zara Tami contentum in suo scripto fere evertit sua judiciali depostione.

Et, re vera, difficile intelligitur ex quanam parte praedictae mulieres, i. e. mater et soror conventae, necessitatem facultatis Parochi S. Clementis noscere potuerint: nam — ut superabunde vi-

dimus — nec rev. Carolus nec rev. Rolli de tali necessitate cogitaverant.

Insuper, ipse Parochus S. Clementis, ut mox videbimus, hunc delegandi modum ignorat, vel oblitus est: sed oblivisci non debuisset, attenta peculiaritate et singularitate rei. Non enim tam frequenter delegatio pro sacerdote, qui nuptiis assistere debet, petitur a mulieribus. Imo, nedum contra consuetudines, sed et contra obsequium deleganti debitum, hic modus agendi est.

2. - Quod sacerdotes jam bene notos, verbum addere tristissimum est.

Si documenta ab eis subscripta attendere deberemus, certum esset delegationem a Parocho S. Clementis rev.mo Carolo datam fuisse, per matrem conventae.

Sed, in una eademque depositione, dum sub initio suum scriptum unusquisque confirmat, per verba immediate subsequentia illud destruit et annullat.

Sufficiant haec exempla vere mirabilia:

a) - in documento, quod Parochus S. Clementis subscripsit, legitur: « *Ricordo esattamente* che, alcuni giorni prima del matrimonio, si recarono da me la madre e la sorella della sig.ra Lydia Bini, indirizzatemi da don Rolli ecc. », quae licentiam pro can. Caroli petivissent, quibus ipse licentiam juxta petita concessisset.

Dein, idem, in orali examine: « In verità, *non ricordo* che la mamma e la sorella della Lidia Bini siano venute da me, per chiedermi la delega ecc. *di queste due donne non mi ricordo affatto* ».

Numquid verba « *ricordo esattamente* », et verba: « *non ricordo affatto* », simul stare et componi possunt?

b) - Rev.mus Carolus in documento habet: « Allorchè la madre... mi pregò di celebrare il matrimonio della figlia Lidia... ricordo che ebbi ad avvertirla della necessità d'ottenere il permesso sia da don Rolli, parroco della sposa, sia dal parroco di S. Clemente.

Sed, in orali examine, postquam dixit: « Riconosco per mia la dichiarazione e *confermo le circostanze ivi espresse sotto vincolo di giuramento* », interrogatus dein num reapse familiares Lidiae Bini invitaverit ad adeundum parochum S. Clementis, vel eos generici verbis hortatus fuerit ad omnia disponenda et paranda dixit: « Rispondo negativamente alla prima parte, affermativamente alla seconda, cioè ho consigliato genericamente la famiglia di tutto predisporre regolarmente. Uguale raccomandazione feci pure al parroco don Rolli, anche questo in modo generico, senza alcun accenno specifico al parroco di S. Clemente... ».

Igitur, eodem tempore confirmat « *le circostanze ivi espresse* » et easdem negat.

a) - Rev. Rolli per documentum dicit: « Risposi che per mia parte concedevo senz'altro la delega, ma che era necessario che o il can. Carlo o la famiglia stessa ottenesse anche il permesso del parroco di S. Clemente ».

Et in orali examine: cum Judex rationem ab eo quaesivisset de contradictione inter scriptum hoc, ab eo mox antea judicialiter recognitum, et praecedentes depositiones judiciales, dicit: « Ritengo più verosimile e più conforme alla verità la versione data nel mio interrogatorio giudiziale, di quella data nella dichiarazione ultima, e cioè di aver *forse* parlato io stesso al parroco di S. Clemente, chiedendogli se aveva nulla in contrario per la celebrazione nella cappella del Soldato ».

Nec, tamen, erubescit adhuc in postremo examine affirmare: « Sono certo in coscienza che mons. Carlo abbia ottenuto regolare delega dal parroco di San Clemente », et, petente Judice quo fundamento haec certitudo innitatur, dicit: « Sulla dichiarazione della mamma di Lydia, che era stata dal Parroco di S. Clemente ».

Satis. Nam, qui ita loquuntur testes non sunt, sed « *harundines vento agitatae* ».

XI. - De Henrico Gilli, familiae Bini vinculo amicitiae juncto, et de Petro Vinci, conventae consanguineo, qui, tempore celebrationis, vix *octavum* aetatis annum superaverat, aliquid non adiicimus. Si hos audiamus, et ipsi optime sciebant delegationem pro matrimonio a Parocho S. Clementis datam fuisse. Igitur, omnes rem noscebant, i. e. familiares, et amici et, inter consanguineos, etiam illi mox ab infantia egressi: *qui*, *tamen*, *omnes tempore debito tacuerunt*, quando, nempe, per unum verbum praepedire poterant ut causa initium habuisset. Remanet ut petrae et saxa civitatis interrogentur; quae, forte, si loqui possent, delegationem, a Parocho S. Clementis concessam, altius quam testes omnes proclamarent!

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis dubio resopndemus: « Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu ».

Franciscus Brennan
Dinus Staffa
Petrus Mattioli, *Ponens*

III°

Coram R. P. D. Boleslao Filipiak, *Ponente*

Vic. Ap. Alexandriae Aegypti

Nullitatis Matrimonii

(*ob exclusum bonum Sacramenti*)

SENTENTIA DEFINITIVA

In Nomine Domini. Amen.

Pio Papa XII feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo octavo, die 23 martii 1956, RR. PP. DD. Boleslaus Filipiak, Ponens, Guillelmus Doheny et Petrus Mattioli, Auditores de Turno, in causa Vic. Ap. Alexandriae Aegypti, Nullitatis Matrimonii, initi inter Marium, actorem, filium quondam S. natum die 1 januarii 1909 Cairi, ibique domicilium habentem et Genovefam, mulerem conventam, filiam M. natam die 28 julii 1910 Cairi, ibique domicilium retinentem, intervenientibus et disceptantibus in causa R. P. Josepho Stella, Defensore Vinculi H. S. T., et R. P Pacifico Capobianco, O. F. M., Defensore Vinculi pro hac causa specialiter deputato, gratuitum patrocinium pro actore praestante R. D. Bartholomaeo Pellegrini, Advocato, hanc in *tertio* jurisdictionis gradu tulerunt definitivam sententiam.

Species facti. - Marius, natione italus, et Genovefa, natione galla, coniugale foedus inierunt die 18 novembris 1933, in ecclesia Montis Carmeli loci Bulacco, in territorio Vic. Ap. Alexandriae Aegypti. Vita coniugalis, quamvis bina recreata esset prole, postea tamen defuncta, satis agitata fuit. Bello conflagrante, annis 1940-1945, Marius in campum vulgo dictum « di concentramento » deducebatur. Tunc Genovefa magis ac magis a Mario aliena fiebat, et anno 1942 a Tribunali Cairi mixto separationem a viro expostulabat. Post reditum viri, instante muliere, tribunal mixtum, anno 1946, sententiam separationis legalis tulit.

Marius, consilio habito ab aliquo sacerdote, matrimonium apud Tribunal Vic. Ap. Alexandriae Aegypti, die 21 novembris 1947, nullitatis accusavit ob exclusum a muliere bonum sacramenti; atque sententiam favorabilem obtinuit, die 1 junii 1953. Sed Tribunal appellationis, seu Cairi Heliopolis, die 10 martii 1954, edixit non constare de nullitate matrimonii. Actore ad N. S. T. appellante, hodie nobis ad concordatum dubium respondendum est: An constet de nullitate matrimonii, in casu.

In iure. - Principia juris, statuta in can. 1086 § 2, pro declaranda matrimonii nullitate, in casu exclusionis perpetuitatis vinculi seu, ut dicitur, boni sacramenti, nota sunt, praesertim ob frequentiorem numerum causarum, quae ex hoc capite pertractantur.

Pro causa praesenti meminisse iuvat matrimonium irritum reddi non solum propter exclusionem absolutam indissolubilitatis, sed etiam ob exclusionem hypotheticam, seu pro determinata quadam hypothesi verbi gratia infelicis exitus nuptiarum vel infidelitatis compartis, etiamsi qui ita contrahit neque sciat neque praevideat, vinculum coniugale postea revera fractum iri. Nam eo ipso quo quis statuit vinculum rumpere, data aliqua certa circumstantia, haec voluntas praevalet, natura sua, voluntati contrahendi verum coniugium et ideo perpetuitatem vinculi de facto excludit.

Aliis verbis, pro declaranda exclusione boni sacramenti requiritur positivus voluntatis actus, in ipsa matrimonii celebratione influens actualiter vel saltem virtualiter. Non requiritur tamen voluntas explicita, cum implicita, ex communi doctrina et jurisprudentia Rotali, sufficiat. Sane dicendus est indissolubilitatem excludere ille qui licet verum et proprium dicat matrimonium catholicum contrahere velle, simul tamen statuit, positivo voluntatis actu, utrum absolute vel hypothetice non refert, recursum facere ad divortium civile. Qui enim ita agit, ita a comparte vult discedere, ut liber omnino evadat et facultas sibi maneat transitum faciendi, si velit, ad alias nuptias. Error autem vel ignorantia, in qua ipse versatur circa media quae praesto sibi sint ad vinculum rumpendum, nullitati coniugii non officit, uti animadvertitur in una sententia Rotali; (S. R. Rotae Decisiones, 1940, p. 921); requiritur proinde positivus voluntatis actus, saltem implicitus. Hinc « simplex error circa matrimonii indissolubilitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem. Cfr. can. 1084 C. J. C.

Sed verum est etiam, ut in laudata decisione Rotali notatur « minime esse incompossibilem cum illo errore *voluntatem* eidem proprietati essentiali (scilicet indissolubilitati) *contrariam* », quae unice vim habet efficiendi irritum vinculum matrimoniale; uti insuper verum est *talem voluntatem*, saltem implicitam, inveniri in eo qui ita persuasum sibi habet — doctrina catholica quam didicit non obstante — de facultate propria divortiandi, ut ab hac persuasione, quae veluti eius aliera natura effecta est, omnino discedere nequeat neve adest ratio, cur ab eadem, in matrimonii celebratione, recedere debeat.

Ad probationem simulationis quod attinet, facilior quippe

exstat probatio exclusionis indissolubilitatis, si eadem fuerit in pactum deducta ac si agatur de mero contrahentis voluntatis actu.

In utroque casu, nihilominus, cum agatur de re interna, de intentione, multum deferendum est confessioni eius, qui indissolubilitatem exclusisse asserit, praesertim si extrajudicialiter factae et tempore non suspecto. Corroboratur autem probatio testimonio personarum fide dignorum, *indole* simulantis et consideratione complexus illarum circumstantiarum, quae ipsam matrimonii celebrationem antecesserunt vel subsequutae sunt, quaeque requisitam certitudinem moralem, pro nullitate matrimonii declaranda, gignere valeant.

In facto. - Accusatur a viro praeconstituta mulieris voluntas adversus bonum sacramenti, quam sententia primi gradus probatam admittit; sententia vero appellata, negat.

Patres Domini, omnibus aeque rimatis, dixerunt difficulter in depositionibus mulieris conspici simplicem errorem, ut retinet sententia appellata, circa matrimonii indissolubilitatem: sed agi potius de voluntatis actu, bono sacramenti contrario, ideo sententiam primi gradus, quae contra vinculum decidit, confirmaverunt.

Praeprimis unusquisque qui acta causae perlegerit quaestionem sibi ponit, *cur* mulier conventa, quae modo debito ad nuptias sese praeparaverit, vinculum solubile tantum intendere debuerit. Simulatio enim consensus est res insolita prorsus, proinde exigit rationabilem (utique, judicio simulantis) aliquam causam, ob quam ipse consensum fictum praestat, Obiectioni, a Vinculi Defensore motae, respondetur, ex actis causae deduci virum sat probum fuisse, ac rectis ideis adornatum, mulierem vero levem, vanam et non solido amore actam, ad matrimonium accessisse.

Ipsam de divortio, ante matrimonium, locutam fuisse, aperte vir concedit. Eloquia autem huiusmodi aestimari non possunt tamquam otio et inconsuete jactata, nam dissentionibus innitebantur ob diversam nupturientium nationalitatem exsurgentibus.

Dicit mulier: « ...i miei sentimenti e le mie idee non combinavano con le sue ». Quod profecto a testibus pluribus confirmatur: in hoc, addita quoque levitate ac volubilitate mulieris de qua passim in actis, causa simulationis reponenda est.

Sed mulier iudicialiter confitetur positivum voluntatis actum: « la mia intenzione tanto anteriormente come durante e dopo il matrimonio era quella, che, dato ch'io ero di nazionalità francese, potessi, una volta che non si fosse andati d'accordo, di divorziare, come si usa in patria mia ». Ipsa eadem indicat uti testem Ange-

lam, uxorem patrui sui, defuncti. Et Angela deponit de ideis Genovefae, mulieris conventae, quoad divortium. « So ...che la madre di lei spesso si lamentava con mio marito, suo fratello, dicendo di non volere quel matrimonio, dato che il Mario era geloso e che le idee dei due fidanzati erano differenti... So che Genovefa, essendo francese, credeva che qualora non fossero andati d'accordo, avrebbe potuto divorziare. So questo dalla parte della mamma di Genovefa, la quale si confidava spesso con mio marito... la Genovefa non faceva che ripetere sempre questo suo proposito fino al matrimonio ». Testis Angela, cuius depositio thesim actoris plene confirmat, fide digna et honesta a parocho dicitur. Ex hac depositione facile intelligitur, cur mulier conventa rogaverit, ne mater eius, nuptiis, ut videtur, contraria, in judicium vocetur. Ceterum neque Vinculi Defensor institit pro interrogatorio matris conventae.

Atqui si tales ideae atque cogitationes manifestantur occasione litium, quae exardescebant ante nuptias, nullo modo concedi potest ipsas campum voluntatis non invasisse.

Alii testes indicantur a viro actore: inter hos Richardus, qui de levitate maxima mulieris deponit (obiecta etiam a supra citata teste Angela) et de litibus, et de motivis litium, et de malo influxu matris mulieris (viro semper contrariae, quod jam scimus) et de propositis divortiandi, a conventa manifestatis ante matrimonium. Pariter testis Richardus a parocho commendatur; ceterum eius depositio verax videtur: quae ab amico ante nuptias rescivit, refert fideliter, sine superlatione atque traiectione.

Concinunt testes: *Vincentius* « in quanto a lei: parlava spesso « da francese » del divorzio e su questo argomento ho assistito parecchie volte a dei propositi di rompere il matrimonio, qualora non si andasse d'accordo... fino al giorno del matrimonio la Genovefa ha sempre parlato di divorzio... »; *Marinus*, qui repetit proposita mulieris, ante nuptias, pluries, ipso praesente, ostensa; *Josepha* et *Anna*, quae intentionem mulieris conventae bono sacramenti contrariam confirmant, quamvis modum excedant, deponendo de pacto vel conditione a muliere consensui adiecta, sed, datis bonis de testibus opinionibus parochi, huiusmodi testium enuntiationes potius ignorantiae vel etiam superlationi tribuendae videntur, non vero intentioni veritatis non servandae.

Ceterum, mulier conventa, tempore propitio, juxta ea quae statuerat, egit: Viro adhuc in campo captivorum degenti, separationem minata est; modo uxoris indigno sese gessit, donec virum ad suos reversum, et convictum instaurare volentem respuerit et processum separationis et divortii instituerit. Mulier, quam libidinis in-

famiaeque neque puduit neque taeduit, viro cuidam, Mahometae fautori, adhaesit, eique nupsit, ritu quidem eodem, a vera et catholica doctrina alieno.

Quibus consideratis, et omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Judices, Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, dicimus, declaramus et sententiamus: *Constare de nullitate matrimonii, in casu*, seu ad dubium propositum respondemus:

Affirmative, vetito tamen mulieri conventae, seu Genovefae transitu ad alias nuptias, donec coram Ordinario loci vel eius delegato sub juramento promiserit, se consensum matrimonialem esse praestituram, ad normam legis (can. 1086 § 2).

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis et ministris tribunalium ad quos spectat ut hanc Nostram definitivam sententiam executioni mandent et adversus reluctantes procedant ad normam canonum, adhibitis iis exsecutivis et coërcitivis mediis, quae attentis rerum adiunctis, efficaciora videantur.

Romae, in Sede S. Tribunalis, die 23 martii 1956.

(Sign.) Boleslaus Filipiak, *Ponens*
Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli

IV°

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

Sententia diei 24 martii 1956

(*de metu indirecte incusso*)

In iure. - Statutum in can. 1087 C. J. C., etsi nemini ignotum, non inutiliter heic ad unguem refertur, ut singula verba, eorumque pondus ac sensus, sedulo diligenterque pensari ac exigi possint: « Invalidum est matrimonium, initum ob vim vel metum gravem, ab extrinseco et injuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert ».

Praescindendo a ceteris, quae centies enucleata sunt, super quibus — ceterum — controversia nulla in praesens agitatur, attentio vertenda est ad quaestionis caput: utrum, jure vigente, metus, qui consensum irritat, requiratur consulto incussus ad extorquendum consensum; an satis sit ut relationi, metum inter et consensum, per patientem seu victimam *directe* locus detur (utique obiectivo quodam modo, et non per phantasiam et arbitrium), et *indirecte* per eum, qui metum infligere ponitur.

Cl. Gasparri (De matrim., 1932, n. 856) recolit non unam fuisse AA. sententiam in jure vetere, ac testatur in Commissione pro novo Codice redigendo, ubi Praeses ipse sedebat, terminos controversiae bene perspectos fuisse. Volens tamen Commissio rem prorsus dirimere, acceptavit, probavit, et in canone inserendam mandavit, formulam exsquisite redactam a rev.mo Palmieri: « a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium »: quippe quae utramque amplectitur sententiam.

Unde, praecl. A., loco citato, concludit: « Hinc, jure Codicis nullum est matrimonium tum si metus gravis sit directe incussus ad extorquendum consensum matrimonialem, tum si ad hoc non sit directe incussus, *sed pars persuasum habeat se ab eo liberare non posse, nisi matrimonium contrahat.*

Proinde, jure Codicis, matrimonium est *certe* (bene advertatur!) invalidum in casibus qui sequuntur: 1°) - Si Titius aggreditur Caiam, ut eam interficiat: Caia, ut mortem effugiat, offert nuptias, Titius acceptat; 2°) - Si pater Titium, stupratorem filiae suae Annae, vult interficere ad vindictam criminis et offensae; Titius, ut se liberet, nuptias proponit cum Anna; pater acceptat; 3°) - Si mulier infirma cum medicus curationem ex justitia et officio debitam eidem denegaverit ex odio, ignavia, aliave causa, promittit matrimonium eidem, vel eius filio, ut sic medicus ad praestandam curationem inducatur; medicus assentitur; et ita porro, in similibus casibus ».

Ut liquido apparet, in omnibus recensitis exemplis, metum incutiens ne cogitabat quidem de matrimonio victimae proponendo aut imponendo, et tamen matrimonium, *a sola victima*, in hypothesi, *exhibitum*, nullum retineri debet ex jure Codicis, i. e. ex metu ab extrinseco et injuste incusso: dummodo — uti par est — de gravi adversione victimae in compartem constet, vel saltem de adversione in matrimonium.

Sed — ut legitur in nonnullis Rotalibus decisionibus — ut consensui ob metum irrito locus fiat, necesse est quod matrimonium tamquam « unicum effugium » contrahenti pateat.

Optime: id autem cum unica salis accipiendum est.

Etenim, in ipsis casibus quod cl. Gasparri finxit et retulit, saltem excludi non potest quod aliae viae pateant, vel patere possint. Verbi gratia, in casu sub N. 2° exposito, stuprator posset, absolute loquendo, occidere minitantem, aut eum publicae auctoritati denunciare, aut alium in locum se conferre etc.: haec autem nec facile, nec tuto, nec sine infamia, aut nonnisi alia pericula gravissima obeundo, generatim, verificari possunt. At nemo, qui sanae mentis sit, dum quaerit remedium ad effugiendum malum imminens, illud eligeret, e quo, omnimoda certitudine, mala pejora sequerentur.

Proinde, ne dicatur matrimonium patere debere tamquam effugium « unicum » absolute et peremptorie (quod, ceterum, fere numquam accidit, in cuiusvis generis metu); sed tamquam effugium quod « unice » obire quis potest modo sat plano ac tuto, in rationabili eius aestimatione, prae oculis habitis adiunctis coactionis: quibus prementibus, et tempus et quies generatim deest ad negocium graviter exigendum, et ad alia possibilia remedia applicanda. Aliis verbis, singulae circumstantiae singulaque adiuncta, in unoquoque casu, perpendenda sunt: quae, ubi, simul sumpta, conspirent ad efformandum in patiente non quidem judicium ac statutum mere subiectivum, arbirarium et phantasticum, sed obiectivum, scilicet solidis ac realibus fundamentis innixum, de metu irritante, jure Codicis, amplius dubitari non potest.

Propterea, nihil obstat quominus exemplis supra allatis illud adiiciatur honestae puellae, quae, a coniugato viro, ut puta, per seductionis opus vehementissimum pressa, et ad nuptias civiliter attentandas, in dies urgentius, invitata atque compulsa, ut murum adstruat et constituat, inter seductorem et seipsam, et ita avertere possit mala aeterna ac temporalia evidenter imminentia, matrimonium invisum eligere cogatur, potius quam malis illis subiacere, quae summe reformidat. Matrimonium ita contractum nullum est ex metu, quem seductor incutit non directe ad extorquendum consensum, sed tali modo, ut puella, obiective, et cum solido fundamento in re, « persuasum habeat se ab eo liberare non posse, nisi matrimonium contrahat » (sunt ipsissima verba cl. Gasparri!).

Ne dicatur — quaeso — relatio inter metum et matrimonium, in similibus, *unice* poni, modo subiectivo prorsus et arbitrario, a patiente, ideo ipse sibi metum facere, vel ipse metum dirigere in ordine ad contrahendum.

Non ita. Nam, praedicta relatio, in casu, sicut et in casibus a cl. Gasparri expositis, *ex ipsa exsurgit natura rei:* unde, mere subiectiva haberi non potest et non debet.

Idem sustineri nequit, verbi gratia, ubi persecutor vehementer instaret ad extorquendum a patiente certam pecuniae summam, vel

praedii venditionem aut donationem, vel, utcumque, aliud negocium sibi favorabile et patienti summe ingratum et damnificum, et patiens, ad avertendum periculum consentiendi, et damnum subeundi, ad pacandum persecutorem, matrimonium offerret, cum eo vel cum filio celebrandum.

Videas, in hisce, *relationem mere subiectivam!*

Obiici posset dubium juris adhuc, super hac re, permanere: siquidem, et AA. optimae notae, etiam post Codicem, veterem sententiam defenderunt, et nonnullae decisiones Rotales, tali opinioni adhaerentes, pro vinculo sententiarunt: quemadmodum sollers Defensor vinculi, pro munere suo, ostendere sategit.

Ips citat, aute omnes, Wernz-Vidal (*Jus can.*, tom. V, n. 501, Romae 1928). Sed, in primis recolendum est hoc opus lucem vidisse a. 1928, antequam Em. Gasparri publici juris fecisset discussionem exortam in Commissione pro Codice redigendo, ac solutionem adhibitam *per novam formulam, usque ad diem illum in jure ignotam;* secundo, autem, loco, dicendum est Wernz-Vidal, ad sustinendam propriam opinionem, vim textui Codicis afferre debuisse, aliquid proprio arbitrio addendo, quod a canone exsulat: « ...nec, proinde, verificatur, quod, ut a metu se liberet, cogatur (ab alio) ad matrimonium eligendum » (O. C., l. c.).

Quo jure, quovis titulo, adduntur verba illa « ab alio », quae canon non habet, quaeque sensum legis ad proprium libitum trahunt?

In novissima editione eiusdem operis, quam cl. Philippus Aguirre curavit, et a. 1946 publicavit, eadem opinio, in nihilo mutata, exprimitur (tom. V. n. 501, p. 631-633).

Attamen, de gravissima revelatione a Gasparri facta, mentio nulla habetur, et ex hoc legitime deducitur eum, qui editionem curavit, talem revelationem ignorasse, vel oblitum fuisse. Secus, exponere debuisset cur, et quomodo, veterem sententiam adhuc defendendam esse existimet, non obstante nova legis formula, praecise excogitata in eum finem, ut uni et alteri sententiae faveatur.

Prorsus eadem animadverti debent de Lega-Bartoccetti (Comm. in jud. eccl., vol. I, p. 425, n. 12, Romae, 1938), et de Vlaming-Bender (Praelect. juris matrimon., ed. quarta, 1950, p. 405), quos pariter D. V. invocat.

Quoad Rotales decisiones diei 11 julii 1922, diei 10 aug. 1923, ac diei 16 octob. 1939, quas D. V. commemorat, quidquid de valore intrinseco argumentorum juridicorum, quibus innituntur, sentendum sit, remanet eas respicere matrimonium ante Codicem contractum, cum, scilicet, extante Doctorum controversia, saltem dubium juris negari non poterat. Quod quidem dubium solutum vo-

luit legislatio nova, ut e fonte, quo melior ac validior excogitari non posset, indubie tenemus.

Restat ut examinemus sententiam coram R. P. D. Mannucci, diei 11 maii 1926, et sententiam coram R. P. D. Staffa, diei 18 febr. 1955.

Sed prima (cuius ceterum verba non cathegorice favent assumpto D. V.) conscripta fuit ante editionem novissimam Em. Gasparri; altera, ad factispeciem toto caelo diversam se refert: agebatur, enim, de viro, qui, aliqua mythomaniae morbida forma — sententia medicorum — laborans, *falso* accepit pro jussione, cui, ad evitanda mala gravissima obtemperandum erat, id quod re vera jussio non fuit.

Concluditur, ergo, doctrinam Em. Gasparri nec citatos AA., nec citatas sententias, expressis verbis, impugnasse aut cribro subiecisse.

Proinde, Patres praesentis Turni inconditionate adhaerendum censuerunt iis, quae egregie scripta reperiuntur in una *Lincien.*, coram R. P. D. Wynen, diei 5 decemb. 1933, ubi, relatis prius verbis Em. Gasparri, quae novimus, ita pergitur: « Emmus autem Gasparri, in exponenda hac re, non considerandus est ut merus Doctor privatus, utcumque gravis, cuius opinioni contradicere liceat, sicut cuicumque alii Auctori, sed potius ut Praeses Commissionis Pontificiae ad redigendum novum Codicem Juris Canonici constituta, qui, cognitis variis interpretum sententiis, motivum manifestat, ob quod impedimentum vis et metus a Codice nova formula publicatum sit, simulque sensum genuinum illorum verborum: « a quo ut quis se liberet etc. » determinat, et exemplis illustrat. Codex igitur *solvere voluit*, *ideoque et solvit*, controversiam inter Canonistas existentem circa hanc rem. Tribunalia ecclesiastica hucusque adhaerebant soli sententiae severiori, juxta quam metus non dirimit matrimonium, nisi incussus ad extorquendum consensum matrimonialem (quae sent. longe erat communior, ideo sequenda in foro ecclesiastico, quia matrimonium non poterat declarari nullum contra majorem numerum AA. gravissimorum). Nunc, vero, controversia soluta est ab ipso Codice, uti ab Em. Gasparri edocemur, abhinc igitur Tribunalia ecclesiastica, absque periculo errandi, *adhaerere debent* novae formulae, prouti supra explicatum est » (Decis. S. R. R., vol. XXV, dec. LXXII, n. 3, pp. 608-609).

Petrus Mattioli, *Ponens*.
Boleslaus Filipiak
Joannes Maria Pinna

V°

Coram R. P. D. Boleslao Filipiak, *Ponente*

PARISIEN.

Nullitatis Matrimonii

(*ex capite conditionis appositae et non purificatae*)

SENTENTIA DEFINITIVA

In Nomine Domini. Amen.

Pio PP. XII feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo septimo, die 25 martii 1955, RR. PP. DD. Boleslaus Filipiak, Ponens, Guillelmus Doheny et Aurelius Sabattani, Auditores de Turno, in causa Parisiensi, Nullitatis Matrimonii, initi inter D.num Raymundum, filium quondam Joannis, actorem, natum die 7 augusti 1902 Lutetiae Parisiorum, ibique domicilium habentem, in iudicio legitime repraesentatum per Advocatum suum D. Franciscum Cartoni, et D.nam Juliam, filiam Eliae, mulierem conventam, natam die 16 augusti 1911 in loco A. a viro legitime non separatam, de facto domicilium retinentem in civitate T., intervenientibus ac disceptantibus in Causa R. D. Ovidio Bejan, H. S. T. Defensore Vinculi atque R. P. D. Francisco Fournier, Defensore Vinculi pro hac causa specialiter deputato, sequentem tulerunt in *secundo* jurisdictionis gradu definitivam sententiam.

Species Facti. - Magnae urbis oblectamentis, commodis, amicitiis frui nec velle iisdem valedicere, et insimul puellam adamare, divitem quidem, sed urbem fastidientem; hic labor, hic dolor Raymundi, Parisiensis.

Qui dum Parisiis munus gerebat in negotiatorio officio, Juliam in pago « V. » commorantem cognovit, eique matrimonium iterum atque iterum obtulit. Ast propositionem pater, in filiam amore flagrans, semper respuit, eo quod nollet privari Julia, eamque in longinquam mittere urbem.

Tandem, mense maio vel junio anni 1933, quando iam Raymundus de matrimonio desperabat, ex inopinato visitationem recepit patris Juliae, qui nomine etiam filiae, nuptias possibiles declaravit, ea tamen lege ut domicilium, coniugale ad tempus tantum Lutetiae Parisiorum instauraretur, et postea maritus paratus esset se recipere in pago « V. », statim ac socer posset eidem ibi offerre munus decorum.

Raymundus his propositionibus annuit, declarans tamen se exigere ut munus saltem aequivalens sibi praeberetur, pro munere quod dimissurus erat.

Elucebat utrimque studium nuptias conciliandi, Raymundus enim ferventi amore ferebatur in Juliam, et Elias, pater Juliae, optima sane existimatione prosequebatur. Raymundum.

Difficultatibus ideo, mutuis concessionibus, superatis, illud tantum temporis spatium sponsi intercedere siverunt, quod ad nuptias parandas necessarium esset.

Nuptiae celebratae sunt die 9 augusti 1933 Lutetiae Parisiorum, in ecclesia paroeciali S. Nicolai.

Uxor fuit Lutetiae apud maritum ad sex menses, ac eius quoque mater aliquantulum ibi, cum filia et genero stetit. Hoc primum coniugii tempus tranquille fluxit, ac juvenibus coniugibus pater litteras amore refertas conscribebat.

Sed Elias reditui filiae apud se — ceteroquin pacto — inhiabat, ac ideo genero emptionem proposuit officinae stillaticiae, cui Raymundus annuit. Munere ideo dimisso, quo Lutetiae Parisiorum fungebatur, maritus apud socerum se cum uxore recepit.

Ast intolerabile taedium ei attulit humile opus assumptum, cui neque assuetus neque idoneus erat, praesertim ex comparatione cum oblectamentis magnae urbis; insuper socer non parcebat iniuriis.

Ita Raymundus, mense novembri 1934 discessit a pago « V. », et Parisios rediit, quo uxor illum sequi noluit, non obstantibus eius instantiis.

Ideo consortium distractum separatioque inducta fuit.

Ambo tribunal civile adiverunt; illa pro separatione, hic pro divortio decernendo; et per unicam sententiam diei 29 mai 1948 utraque pronuntiatio habita est.

Tandem, die 28 aprilis 1950, Raymundus, qui interea matrimonium civile attentaverat, Officiali Curiae Parisiensis libellum porrexit ad petendam declarationem nullitatis matrimonii « ex capite conditionis a se appositae et non purificatae ».

Prodiit sententia die 7 decembris 1953 actori adversa.

Raymundo appellante ad N. S. O., causa nunc solvenda venit sub sueta dubii formula: « An constet de nullitate matrimonii, in casu? »

In Iure. - de consensu sub conditione praestito.

Consensus sub conditione praestitus habetur, quando consensui aliqua circumstantia adicitur, a qua valor ipsius consensus dependet.

Ab hac vero conditione internoscendae sunt aliae volitiones, quae quandoque conditiones vocantur, at reapse conditiones non sunt.

« Toto coelo differt — legitur in una coram Mannucci — vul-

garis illa ratio accipiendi conditionem ut praerequisitum aliquod ad matrimoniale negotium concludendum, quo non exstante, matrimoniales tractatus abrumperentur; nam in hoc casu, ut liquet, hypotesis non fingitur de ipso consensu matrimoniali dando vel non dando in actu matrimonii, sed de aliquo alio matrimonium antecedente » (Decisiones S. R. Rotae (1926, dec. XLI, n. 3).

Cl. Windscheid acute de re disserit: « La presupposizione è una condizione non isvolta, una limitazione di volontà, che non si è svolta fino ad essere una condizione. Chi manifesta un volere sotto una presupposizione *vuole;* al pari di colui che emette una volontà condizionata, che l'effetto giuridico voluto abbia ad esistere soltanto dato un certo stato di rapporti, ma egli non giunge a fare dipendere l'esistenza dell'effetto da questo stato di rapporti. La conseguenza di ciò è che l'effetto giuridico voluto sussiste e perdura, sebbene venga meno la presupposizione ». (Windscheid, Il diritto delle Pandette, trad. Fadda e Bensa, Torino, 1930, vol. 1 pp. 332 e seg.).

« Igitur, voluntas illius, qui ex praesuppositione contrahit haec est: ut matrimonium absolute velit, quod tamen numquam voluisset, si de inexistentia vel simulatione praesupposití vel postulati sibi constitisset ». (c. Mattioli, sententia Rotalis, diei 18 martii 1950).

Postulatum ideo definiri potest « circumstantia ex qua quis pendere ait an matrimonium celebret an non » (c. Morano, Decisiones S. R. Rotae, vol. 1929, dec. LV, n. 4) vel etiam « bonum quod suis nuptiis consequi vult et cum causa coincidit, quoties eodem matrimonium determinatur » (c. Staffa, sententia Rotalis diei 31 martii 1950).

Causa est « indicatio motivi quo quis ad consentiendum feratur, v. g. contraho tecum quia dives es, quia virgo es; *demonstratio* est expressio alicuius qualitatis in comparte suppositae: v. g. contraho tecum, quia honesta es.

Modus vero « adiectio alicuius oneris ad quod contrahens obligatur post profectum contractum ».

« Consensum non adligat, eaque deficiente matrimonium saltem ex hoc capite non deficit, *condìtio praematrimonialis* quam vocant, circa videlicet qualitatem vel factum quod matrimonio causam dat; certitudine enim adepta, decernitur matrimonium celebrandum; et non adepta, tractatus abrumpuntur ac spes matrimonii celebrandi amittitur. Liquet vero eiusmodi conditioni non adligari consensum matrimonialem, qui pure et simpliciter datur, etiam si id quod requiritur non exsistat; isto enim errore, qui dat causam contractui, non afficitur consensus, quamvis hi qui iuris canonici

expertes sint, de qualitate deficiente errorem et deceptionem vocent pro conditione sine qua non » (c. Jullien, sententia Rotalis diei 30 octobris 1946).

De *conditione potestativa*, recentissime disseruit Cl. Dinus Staffa. (Cfr. « De condicione potestativa in contractu matrimoniali » apud « Monitor Ecclesiasticus » 1954. fasc. IV, pag. 647 ss.) « Cum in re tam gravi, prout est matrimonium, plane tenendum sit partes noluisse ludere verbis, condicio potestativa — illa nempe quae in potestate vel arbitrio ponitur alterius, ideoque ab eius voluntate pendet — in pluribus decisionibus S. R. Rotae ita interpretata fuit, ut eodem subesset, non eventus futurus sed promissio ex animo facta a comparte aliquid post nuptias praestandi vel omittendi. Condicio proinde potestativa sive positiva sive negativa habenda esset de *praesenti*, ita ut obligatione sincere suscepta a comparte, matrimonium valeat, etsi postea non adimpleatur; sic contra promissione simulata, matrimonium corruat. Non deest tamen qui huic theoriae, gravibus argumentis adversetur, tenens « Condicio potestativa tam affirmativa quam negativa, cuius eventus post nuptias verificari debet, *uti suspensiva* habenda erit, si, contrahentium intentio fuit, ut nuptiae validae non essent ante condicionis eventum et facto id ostenderint per corporum traditionem inter se non secutam. Quod si vero intenderint actum validum vel ab initio perficere et copula carnalis sit libere secuta, condicio suspensiva, potissimum in his, quae tractum successivum habent, ne intelligi quidem potest ».

Conclusionis gratia, ex eodem auctore, haec statui possunt: « *Nisi certo constet:* 1) aut de *condicione de praesenti*, (qua nempe matrimonialis contractus pendet a sincera susceptione oneris), quae non praesumitur 2) aut de *condicione resolutiva*, (seu de voluntate divertendi nisi obligatio adimpleatur), quae pariter non praesumitur, nec admittitur nisi actus positivus voluntatis contra perpetuitatem vinculi plene probetur; 3) aut de *conditione suspensiva* (qua contractus suspenditur usque ad inceptam exsecutionem obligationis), quod vix probari poterit, nisi consummatio matrimonii usque ad illud momentum differatur, *concludendum est*, non de condicione agi, sed de praesupposito seu postulato, vel de causa seu motivo, vel de modo. Condicio enim verbis et factis probanda est, neque confici potest mera coniectura quae voluntate subiecti quomodocumque expressa non nitatur; neque probatur nisi ipsius obiectum sit univocum et definitum » (ibidem).

In Facto. - Ut par est, *investiganda est voluntas* actoris qui hodie praetendit se actu celebrationis matrimonii consensum dedis-

se sub definita conditione, ut sibi a socero in provincia procuraretur munus, si non melius, saltem par huic Lutetiae Parisiorum possesso.

Discordantibus partibus, cum conventa eiusque testes, praesertim familiares, negent ullam ab actore appositam fuisse conditionem, ratio habenda est probationum, quas actor affert; actoris enim est probare asserta.

Profecto videtur agi in casu nonnisi de *praeviis conventionibus*, quae persaepe in conciliandis nuptiis statuuntur, non autem de vera et propria conditione — ita censuerunt Patres. Seposita quaestione actorem eiusque testes, qui post eum omnia repetunt, uti verbis nonnisi a iuris peritis cognitis, iidem Patres tenuerunt in casu plusquam verba *facta esse scrutanda*. Etenim cortex verborum, quam acta suppeditant, est tam *copiosa* et tam definitae sunt expressione in ore actoris eiusque testium, ut nonnisi suspicionem moveant.

Esto quod actor a pluribus testibus, etiam viris ecclesiasticis, fide dignus atque honestus praedicetur, non *eius* tamen est definire, utrum in casu agatur de conditione vera et propria, an potius de *modo* contrahendi, ne minime quidem substantiam contractus attingenti.

Imprimis, in casu discusso, modo evidenti patet actorem, non impleta praetensa conditione, *plus quam per duos annos omnia fecisse*, ut mulier, quam, ut videtur, semper maximo prosecutus est amore, apud ipsum Lutetiam Parisiorum veniret. De hac opera actoris exstant in actis *plura documenta*, in quibus describuntur tractatus, quos praesertim Sac. D. apud familiam conventae interposuit, ut haec apud virum Lutetiam Parisiorum veniret. Laudanda quidem est opera actoris quam posuit ad salvandam matrimonii indissolubilitatem, sed actum est de conditione.

Thesis autem partis conventae magis probabilis apparet, nempe familiam Juliae nullimode voluisse, ut filia Lutetiam Parisiorum iret. Neque tamen ex parte conventae vera et propria conditio consensui apposita est, sed simplex postulatum, intra limites praeviae conventionis, quod actor acceptavit.

Rem fuisse inter patrem sponsae et sponsum ante nuptias compositam, clare eruitur, etiam ex epistula soceri ad generum, diei 7 martii 1934, in qua legitur generum esse quidem dispositum, iuxta promissionem socero ante nuptias datam, ex urbe in provinciam abire, sed eumdem scire velle, quaenam fuerit eius res oeconomica, si munus Lutentiae Parisiorum occupatum dimitteret. Ex actis deinde constat virum actorem apud socerum venisse, officinam a socero praeparatam vidisse, rem oeconomicam bene perpendisse,

consensum suum ad officinam emendam dedisse; tunc tantum munus Lutetiae, per annos occupatum, dereliquisse, atque in locum V., ad novum munus ineundum, se contulisse; scilicet in officina a socero praeparata. Si deinde actor deceptus, quia, ut asserit, male fuit a socero, eiusque familia, non excepta uxore, tractatus, animadvertit conditionem, consensui ab eo appositam non fuisse impletam, profecto *consensum nullum declarari debuit*, sed minime hoc fecit, e contra, adhuc die 4 augusti 1938 ab amico suo Rev. D. R. litteras accepit, in quibus hic notitias dat de tractatibus cum familia conventae habitis, ad restaurandam vitam coniugalem. Atqui qui animadvertit conditionem consensui appositam non fuisse impletam, potius liberum se declarat ab omni vinculo: prout actor in sua judiciali confessione dixit, scilicet se hanc conditionem, cognita avaritia futuri soceri, expresse consensui, apposuisse ita ut, ipsa non impleta, liber esset ab omni vinculo matrimoniali.

Neque actor constans sibi est, de quanam conditione agatur, utrum de praesenti an de futuro. In libello describit fusius, et quidem verbis iuridicis, praetensam conditionem, sed pressius naturam conditionis non indicat; in primo vero interrogatorio verbis indubiis definit appositam conditionem eamque declarat de futuro: « ma condition portait sur un fait qui était à réaliser dans un proche avenir ». In altero tamen interrogatorio actor vacillare coepit, et potius in medium contulit conditionem de praesenti, dicendo: « j'ai bien fait comprendre à Monsieur Elie que ma condition était à prendre ou à laisser. Je ne me serais pas marié s'il n'avait pas accepté »; et sub finem eiusdem depositionis, ad evitanda dubia, actor distinguit: « je précise que ma condition portait bien sur *le présent*. C'est son objet qui devait se réaliser dans un proche avenir. Mon expression dans ma première déposition a été tronquée ». Quidquid est de voluntate actoris, quoquo modo eius thesis absque fundamento iuridicae probationis remanet. Si enim agitur de conditione de praesenti, sine dubio socer sincere promissionem fecit atque conditionem a genero positam acceptavit: sincere sese obligavit; obligationem mox post nuptias explevit; filiam vere diligens atque eius felicem sortem desiderans pro sponsorum re oeconomica multam pecuniam impendit, ut omnia bene et fauste cederent; proinde promissionem acceptam explevit. Si autem dicere velimus, agi de conditione de futuro, pariter socer conditionem implevit: generum certiorem reddidit de officina proxime emenda, omnia cum eo perspexit, sicuti documenta actis inserta probant; cum gener proposita soceri acceptavit, socer officinam emit et promissum opus quaestuosum genero concredidit. Tunc tan-

tum, sicuti etiam acta ostendunt, munus suum Lutetiae possessum dereliquit et apud socerum se contulit.

Neque a *testibus* appositio conditionis concludentibus argumentis confirmatur.

Videamus testes praecipuos: Testis Rev. J. nihil aliud scit quam id quod actor magni faciebat munus Lutetiae occupatum; ex quo testis deducit actorem munus hoc deserere non potuisse nisi aliud par vel melius in loco V. obtineret. Sed apposuinte actor consensui conditionem? Testis respondere nescit, imo admittit hanc quaestionem ortam fuisse *nonnisi* occasione processus canonici, *seu tempore suspecto.* Tempore vero matrimonii, ita testis, multi ex utraque familia compertum habuerunt socerum pro futuro genero congruum quaerere munus. Hoc testis ex ore ipsius soceri ante nuptias audivit. Totam rem limites praeviae conventionis, inter contrahentes utiliter atque ordinarie usu receptae, non esse transgressam, prudenter concludere licet ex testimonio testis Henrici, actoris amici et *advocati*, qui haec refert, se fuisse ab actore interorgatum circa conditiones a socero oblatas. Tunc advocatus actori consilium dedit serias a socero esse exigendas promissiones (sérieuses garanties); et testis concludit se nescire, utrum actor a socero has promissiones exegerit, necne. Testis tamen censet rem bene fuisse compositam quia nuptiae fuerunt celebratae.

Promissionem datam socerum sincero animo explevisse, attestatur Rev. J.; idem, dissentientibus coniugibus, multum adlaboravit, ut concordia denuo inter eos regnaret. Denique notetur oportet actorem inter complures sacerdotes, etiam dignitate insignes, consilia quaesisse, quomodo instaurandus esset processus canonicus. Videtur vero non semper, neque ab initio, caput nullitatis statutum atque definitum fuisse. Inter documenta, actis inserta, exstat epistula archiepiscopi coadiutoris, diei 23 septembris 1948, in qua potius, sermo est de capite vis et metus; pariter in eadem epistula consilia dantur eligendi bonos advocatos. Quae consilia actor, ut videtur, *solerter est secutus;* cum ea, quae in libello, diei 28 aprilis 1950, et in duabus depositionibus judicialibus affert, sapiunt virum iuris canonici et procedurae judicialis non expertem.

Quibus omnibus tam in jure quam in facto rite perpensis atque consideratis, Nos infrascripti Patres, Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus: Non constare de nullitate matrimonii, in casu, seu ad dubium propositum respondemus: *Negative.*

Expensas judiciales solvat actor, seu D.nus Raymundus.

Ita pronuntiamus mandantes Ordinariis locorum e' ministris tribunalium ad quos spectat ut hanc Nostram definitivam sententiam exsecutioni mandent et adversus reluctantes procedant ad tramitem iuris, praesertim lib. IV, tit. XVII, C. J. C., iis adhibitis exsecutivis et coërcitivis mediis quae pro rerum adiunctis opportuniora et efficaciora videantur.

Romae, in Sede S. Tribunalis, die 25 martii 1955.

(Sign.) Boleslaus Filipiak, *Ponens*
Guillelmus Doheny
Aurelius Sabattani

VI°

Coram R. P. D. Boleslao Filipiak, *Ponente*

N. N.

Nullitatis Matrimonii
(*ob mentis infirmitatem in muliere*)

SENTENTIA DEFINITIVA

In Nomine Domini. Amen.

Pio Papa XII feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo octavo, die 15 junii 1956, RR. PP. DD. Boleslaus Filipiak, Ponens, Guillelmus Doheny et Petrus Mattioli, Auditores de Turno, in causa N. N. Nullitatis Matrimonii, inter D.num Placidum, filium Mauritii, actorem, natum die 4 julii 1920 in loco N. N. domicilium habentem in loco N. N., repraesentatum per R. D. Bartholomaeum Pellegrini, Advocatum ei ex officio datum, et D.nam Gallam, filiam Caroli, mulierem conventam, natam die 29 novembris 1920, in loco N. N. domicilium vero retinentem in loco N. N. utpote a viro legitime non separatam, intervenientibus ac disceptantibus in causa R. D. Ovidio Bejan, defensore Vinculi H. S. T. et R. D. Francisco Fournier, Defensore Vinculi deputato, hanc in *tertio* jurisdictionis gradu tulerunt definitivam sententiam.

1. - Species facti. - Post breves tantum sermones familiares, expleto moderato epistularum commercio, Placidus et Galla, eiusdem aetatis, eiusdemque professionis -- ambo magistri munus exple-

bant — die 23 decembris 1946 — intra fines dioecesis N. N. fidem coniugalem sibi dederunt. Sed jam die 10 aprilis anni subsequentis convictus abruptus est, ob insolitum modum se gerendi Gallae. Quam ob rem, die 9 junii eiusdem anni, Placidus apud Tribunal N. N. matrimonium nullitatis accusavit, ob mentis infirmitatem in muliere. Die 22 decembris 1952, idem Tribunal pro assumpto viri sententiam dedit; Tribunal vero X. in sede appellationis, die 18 junii 1954, pro vinculo iudicavit. Causa ad N. S. T. delata, hodie solvenda proponitur, sub consueto dubioconcordato: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

In Jure. - 2. - *Consensus* matrimonialis est *actus humanus* qui igitur a libera voluntate, praevia deliberatione intellectus, elici debet. Ad illum valide eliciendum requiritur: ex parte intellectus, scientia sufficiens, qua contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos (can. 1082): *ex parte voluntatis libera determinatio* qua contrahens tradit et acceptat jus in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (can. 1081, § 2).

Ad actum humanum, scilicet ex voluntate, praevia intellectus deliberatione, procedentem, requiritur, ut homo *eiusdem actus dominium* habeat, quod vero non habet nisi actus procedat ab eius voluntatis libera determinatione.

3. - Ambitum morborum mentis, qui afficiunt tantum ipsam, electionem rei « et ideo tollunt dominium proprii actus, certissime ingreditur, ex peritorum iudicio, morbus *psychastheniae*, qui potius quam psychosis, dicitur esse quaedam nevrosis.

De natura huius morbi opportune referuntur quae scripsit, in hac ipsa causa peritus, Dr. Lauzier: « Classiquement la psycasthénie est une psycopathie constitutionelle, caractérisée par l'apparition, sur un état psychique habituel d'indécision, de doute et d'inquiétude, d'accès paroxystiques d'anxiété ou d'obsessions Aboulie, doute, inquiétude, scrupules, tristesse, irrésolution, indécision, sont les éléments essentiels du terrain psycasthénique. Douteux et ballotté entre les arguments opposés et les hypothèses antagonistes, le psycasthénique ne peut atteindre la croyance, ni acquérir le sentiment du réal; scrupuleux, il cherche partout et en vain le criterium moral; craintif, il appréhende sans cesse de mal faire; incapable de vouloir et d'agir, il souffre moralement, vivant sans cesse dans des sentiments d'insécurité, d'inquiétude et d'angoisse. Il en résulte un sentiment d'incomplétude, au cours duquel il ne se sent pas

maître de sa propre pensée, *étant dirigé* par elle plutôt qu'elle ne le dirige. Parfois dans un sursaut impulsif, il est capable de prendre une décision, mais c'est pour retomber aussitôt dans son indécision foncière et ses conflits pénibles.

La psycasthénie laisse intacte la lucidité du sujet; celui-ci conserve l'intégrité de ses facultés intellectuelles: attention, mémoire, jugement, seule la volonté est touchée ».

Qui huiusmodi morbo afficiuntur conscientiam habent, utique, de iis quae agunt etiam irrationabiliter, et vellent sese subtrahere a misera sua conditione anxietatis, et gravis incertitudinis; sed nequeunt.

Ex hucusque expositis, patet quod qui huiusmodi morbo corripiuntur, revera consensum validum matrimonialem praestare nequeunt, quia iidem non habent *dominium* proprii actus, seu, quod idem est, *non sunt liberi.*

Procul dubio, gradus in huius morbi evolutione admittuntur. Sed certum item est, eo magis requisitam libertatem, pro gravitate negotii matrimonii, deesse, quo magis idem morbus fuit diuturnus, quo magis perfecta ruina mentis accedit.

4. - Adducatur denique principium a cl. Gasparri enuntiatum (Tractatus canonicus De Matrimonio II. 785), idest, cum morbus est certus, et certe matrimonium antecedens, et certe facultates mentis laedens, defectus consensus, etiam in casibus apparentis normalitatis, praesumi debet, donec contrarium stricte probetur.

5. - In Facto. - Absque dubio, casus, in praesens Nobis subiecti, resolutio perdifficilis est.

Attamen, pro eo recte exigendo, praeter principia juris itemque criteria, per quae principia illa singulis casibus applicantur, nonnulla, quae ex actis tamquam certa scatent, ob oculos habenda erunt.

Quae sunt:

1° - *Infirma mulieris constitutio.*

Omnes consentiunt, non exceptis iudicibus appellatis, (qui non constare de nullitate matrimonii edixerunt) mulierem conventam esse *psychasthenia* affectam. Huius morbi mentis gradus inveniri multos, res indubia est.

Quaeritur, quonam statu mentis conventa consensum praestit?

Ceterum placet, iuxta votum consultoris Rev. J. M. diei 25 martii 1952, quod in actis invenitur, *iisdem verbis* ponere quaestionem: « Si le psychasthénique n'est plus suffisamment maître de lui-même, au moins devant les décisions graves et troublantes; si Madame Galla est une ancienne psychasthénique, bouleversée

par la décision portant sur le mariage; sur le second, plus encore que sur le premier; et donc déséquilibrée à l'état aigu par la contrainte pratique de l'engagement à prendre hic et nunc, il me semble qu'elle ne devait pas être capable d'un acte véritablement libre de choix ».

Atqui constat ex actis, conventam, usque ab infantia, scrupulis, incertitudinibus, anxietatibus, hypersensibilitate summa, constanter agitatam fuisse.

De quo, parentes, educatrices, medici, superabunde testantur. Inter quos eminent:

testis Maria, hodie soror religiosa, antea conventae magistra, deinde socia et familiaris. Haec nobis plura manifestat de *indole infirma* conventae: « Galla... n'a jamais été equilibrée. Elle est de tempérament anxieux. Elle a de la peine à se décider. Elle n'était pas équilibrée non plus, au point de vue sexuel. Elle s'analysait beaucoup et se rendait d'ailleurs compte qu'elle n'était pas équilibrée ». Post hanc conventae descriptionem testis narrat animi excitationem conventae, in vigilia nuptiarum: « à la veille du mariage, elle n'on pouvait plus. En voyant les initiales D. C. qui ornaient la salle où devait avoir lieu le repas, elle faisait le rapprochement avec le mot *décès*, phonétiquement exprimé par les deux lettres, et disait: « C'est tout-à-fait ça ».

Nemo est quin vident haesitationem mentis, nervorum excitationem in conventa, quae usque in actu praestationis consensus — ut nobis ipsa refert — ex vultu vel oculis sacerdotis, nuptias benedicentis eruere voluit, quid sibi esset faciendum.

Similiter deponit testis Maria Ludovica, quae confirmat notas et lineamenta indolis infirmae conventae; atque adducit novas probationes eius mentis perturbatae: etenim haec pluries asserebat nuptias consilio et malis artibus diaboli esse celebratas.

Vixdum, modo insolito, nuptias celebravit, mulier conventa eas dispensatione pontificia, utpote non consummatas, solvendas desideravit; deinde, instante medico-psychiatro D.re Rufo, a viro actum coniugalem petiit; quo non obstante, post paucos dies, debitum coniugale reddere noluit. Quae animi mutatio continua, certo certius indicat indolem infirmam.

2° - Eius *institutio extra normam*, quae notas constitutionis pathologicae summe aggravavit. Clausura, rigor fere jansenisticus, impulsio exaggerata ad perfectionem consequendam et ad vitia debellanda, sine dubio augere debuerunt illam adolescentis consuetudinem introspiciendi, examinandi, exigendi, ex quo, practica difficultas eligendi quidquid, vel illud repellendi.

3° - Timor exaggeratus senescendi in statu nubili. Inde modus insolitus, quo conventa commercium epistularum instituit cum Placido, mediante quadam agentia matrimoniali; inde post abruptionem *primae* propositionis nuptiarum, obiectum praecipuum anxietatis obsessivae mulieris erat praecise matrimonium, qua de re sufficiat referre testimonium directum D.ris Sauli, qui erat medicus a curatione: « Elle me répétait la même histoire sur sa rupture. C'était une personne pour laquelle la préoccupation du mariage paraissait dominante, revenait dans toutes les consultations d'une manière anormale. J'étais obligé chaque fois, d'abréger l'entretien, et très difficilment d'ailleurs, malgré toute ma bonne volonté ».

4° - Episodium abruptionis sponsalium, in pervigilio fere diei celebrationis nuptiarum; quod contigit mense decembri 1945, et innumeras prae se tulit sequelas fastidio plenas.

Praedictis, quae, si una simul sumantur, satis sunt ad statum infirmum constituendum et aggravandum, alia accidentalia et concurrentia addenda sunt, quibus adminiculorum valor est agnoscendus.

Nam bene perpendere oportet, relationem inter actorem et conventam, per agentiam quamdam instauratam esse. Deinde juvenes duabus vel tribus vicibus, tantummodo, ad invicem conversari potuerunt; et puella, diebus matrimonio proximis, valde debilitata apparuit, ob duram, physice et moraliter, adsistentiam, quam praestitit dilectissimae morienti materterae.

6. - Cuiusnam, autem, gradus et qualitatis infirmitas haec fuerit, peritorum votum est exquirendum.

Tres periti vota dederunt: Dr. Primus, Dr. Secundus et peritior Dr. Tertius. Unus Dr. Secundus censet conventam consensum libere praestitisse, alii duo tenent eam nuptias absque legitima voluntatis libertate celebravisse. Sed, uti fuse sententia N. N. exposuit, etiam Dr. Secundus admittit voluntatem conventae, tempore contractus, fuisse deminutam: « La psychasthénie laisse intacte la lucidité du sujet, celui-ci conserve l'intégrité de ses facultés intellectuelles: attention, mémoire, jugement, *seule la volonté est touchée* ».

Quam vero infirma fuerit voluntas conventae, et quidem jam tempore quo prima sponsalia abrupit, resultat ex depositione Rev. Probi (quam Dr. Secundus, utpote tempore posteriore factam non novit), qui referi conventam post continua dubia et perpetuas haesitationes eius consilio sponsalia abrupisse.

Conclusio proinde D.ris Secundi, conventam aptam fuisse liberum praestandi consensum, admitti non potest, cum iudex, iuxta

normam can. 1804, cetera quoque causae adiuncta attente perpendere debeat.

Duo alii periti concinunt, conventae voluntatem fuisse incapacem ponendi actum deliberatum et liberum. In casu, Nostro judicio proposito, curriculum vitae mulieris conventae, quod ipsa pluries scriptis redegit, optime concordat cum iis quae peritis de statu animi confisa est; ex hac, vero, descriptione, valde acerba, concluditur eam dominium facultatum mentis minime tenuisse, sed penitus impotentem fuisse animum suum infirmum coercere. Inde incessanter consilia quaesivit apud medicos, sacerdotes et amicos. Hinc peritus Dr. Primus concludit « en elles-mêmes, les facultés intellectuelles de M.me Galla ne sont pas touchées, mais leur fonctionnement peut être entravé par la déficience de la volonté... C'est dans ces conditions qu'elles ont dû être entravées chez l'épouse, au moment de la célébration du mariage. La *rumination ambivalente* qui est le fait des psychasthéniques ne laisse pas libre leur faculté de jugement, au moment de la décision ». Cum perito assentiendum est, et acta amplo modo hoc ostendunt, conventam intellectum clarum conservavisse, excepto obiecto matrimonii, quod turbatum resultat, deficiente voluntate: « Il s'agit d'un trouble du jugement ». concludit peritus, « limité au sujet, faisant l'objet de la decision à prendre. Il y a beaucoup de gens indécis. Mais l'indécision de M.me Galla me paraît celle d'une malade, en raison du caractère obsédant de ses hésitations ».

Non aliter iudicavit peritior Dr. Tertius. Recte hic dicit, omnes qui familiaritate conventae usi sunt, observasse factum indubium, scilicet eam angi quodam vehementi dolore; fere omnes, in specie medici, cruciatus pathologicos praesenserunt. Ita, Dr. Saulus qui conventam post primam sponsalium abruptionem in curis habuit, optime praesensit « que la debilité mentale offre de ces exemples d'initiatives brusques, improvisées dans un sens ou dans un autre, qu'un homme rassis n'adopterait qu'après mûre réflexion. La lucidité consiste à prendre une décision en pleine connaissance de cause — j'estime que les débiles mentaux sont tout de même un peu diminués dans leur libre arbitre; prennent des décisions mal fondées, même à leurs propres yeux — font des coups de tête, des sauts dans l'inconnu. Dans ce sens, il y a connaissance, mais peut-être pas consentement suffisant ».

Quae medicus Dr. Saulus praesensit, peritior Dr. Tertius, qui morbis mentalibus, ex professione, praecipuam operam dare solet, definitis verbis statuit: « Elle nous apparait comme une grande déséquilibrée, de l'émotivité, consciemment et longuement, sensibilisée par une suite de conflits. . Dans le passé on avait même noté

chez elle une composante cycleide de l'humeur, passant de l'exaltation à la dépression. La teinte dépressive apparaissait en plein dans les jours qui ont précédé la cérémonie. Elle *voyait* avec une profonde tristesse angoissée la faillite à laquelle elle marchait, mais elle n'avait pas le tonus moral nécessaire pour réagir. Quand elle a prononcé le oui, il en allait de même. C'était *un acte négatif*, un acte d'abandon. Conscience et mémoire n'étaient pas affectées. Mais pour *qui est familier de la névrose anxieuse*, comme des actes énormes auquels peut s'abandonner consciemment et sans pouvoir réagir un obsédé par ailleurs parfaitement honorable, il est hors de doute que M.me Galla ne pouvait agir délibérément. Elle n'était pas, peut-être, au plus creux, mais le *désarroi* était profond ». Peritior absque ulla dubitatione concludit « conscient du sens que nous donnons à l'expression, nous dirons que l'emprise maladive, sous la quelle elle se trouvait, ne lui laissait qu'une liberté à peu près nulle ».

7. - Peritorum conclusiones nonnisi admittendas censuerunt Patres, visis ceteris causae adiunctis, quae thesi actoris favent, scilicet mulierem conventam, tempore contractus matrimonialis, ob debilitatem mentis seu psychastheniam, et in specie ob infirmam voluntatem, incapacem fuisse emittendi liberum consensum.

Quibus tam in jure quam in facto perpensis, Nos, infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, respondentes ad dubium propositum: *Affirmative*, seu constare de nullitate matrimonii, in casu; vetito mulieri transitu ad alias nuptias, inconsulto H. S. T.

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc Nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad tramitem C. J. C., lib. IV, tit. XVII, adhibitis iis exsecutivis et coercitivis mediis, quae attentis rerum adiunctis efficaciora videantur.

Romae, in Sede S. Tribunalis S. R. Rotae, die 15 junii 1956.

(Sign.) Boleslaus Filipiak, *Ponens*
Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE JUSTINIANO CARDINALI SERÉDI

Octavo mox recurrente lustro promulgati Codicis Iuris Canonici memoriam recolere iuvabit *Iustiniani Card. Serédi*, doctissimi illius canonistae, qui per tria decennia codificationi operam strenuam navando optime de collectione legum ecclesiasticarum per saecula duratura meruit.

Priusquam ad rem aggrediamur, aliquot lineamentis cursum vitae eiusdem perstringamus.

Iustinianus Cardinalis Serédi in pago Deáki dicto (comit. Posonien.) die 24 aprilis a. D. 1884, ex parentibus pauperibus at diligentia, probitate, fide religiosa, amore patriae hungaricae eximiis natus est. Pagus ille, in quo anno 1001 a S. Stephano hungarorum Protorege ecclesia condita est, diplomatibus medii aevi latino sermone exaratis « *Villa Clericorum* » nuncupabatur atque ligamen irruptum religionis christianae nationisque hungaricae spirabat. Primum linguae hungaricae monumentum, quod « Sermo super sepulcrum inscribitur », foliis Libri Missalis ecclesiae Deákiensis conservatum est.

Card. Serédi genitorem habebat Michaelem Szapucsek tegularium, matrem vero Iulianam Oroszlán. In sacramento baptismatis nomen Georgius ipsi impositum est. Parentibus eius praeter ipsum decem fuerunt proles, ex quibus Michael in Ordinem S. Benedicti ingressus est nomine in Marcellum mutato, Magdalena vero Congregationi Religiosarum a S. Vincentio nuncupatarum adhaesit ibidem Ottilia vocata.

Georgius Serédi quattuor classes scholae elementaris in pago Deáki frequentabat, ludi magistrum etiam quinque elapsis decennis summa venerans pietate. Inde ab anno 1895 Posonii disciplinis gymnasii per sexennium incumbit, diligentia, ingenio, hilaritate animi eminens. Sexta gymnasii classe absoluta verosimiliter exemplo fratris sui natu maioris motus vocationi religiosae obsequitur et eidem Ordini S. Benedicti nomen dat, atque die 6 augusti anno 1901 habitu monastico induitur. Autumno a. 1904 a superioribus sui Ordinis Romam mittitur, ut in Universitate a S. Anselmo nuncupata ad s. theologiam studium conferat. In hac praecellenti Universitate per quattuor annos philosophicis, theologicis necnon canonicis imbuitur disciplinis, deinde ad S. Montem Pannoniae (vulgo Pannonhalma) reversus die 11 iulii 1908 vota sollemnia profitetur ac die 14 eiusdem mensis a Medardo Kohl O. S. B. episcopo auxiliari Strigoniensi ad ordinem s. presbyteratus evehitur. Postea Romam redit.

Tunc temporis labores iam impendebantur codificationi legum ecclesiasticarum, quam S. Pius Pp. X litteris suis « *Arduum sane* », motu proprio die 19 martii 1904 datis, fieri iussit. Commissionis codificationis prius a secretis fuit *Petrus Gasparri* [1] archiepiscopus tit., deinde Cardinalis a Secretis Status electus eidem praeficitur.

P. Card. Gasparri Patrem Petrum *Bastien* O. S. B. magistrum iuris canonici sodalem quendam religiosum iuniorem laborisque patientem rogavit, qui in opere codificationis sibi auxilium parestaret. P. Bastien Patrem Iustinianum Serédi, tunc praeter linguam hungaricam sermonem latinum, germanicum, gallicum, italicum, anglicum, hispanicum callentem proposuit. Anno itaque 1908, quarto super vicesimum aetatis anno vix completo P. Iustinianus Serédi iam membris Commissionis Pontificiae Codificationis adnumeratur et laborem inchoat post triginta demum annos, a. 1939 finiendum. Excepto brevi intervallo [2] exinde assidue Romae degens indefessus laborat de codificatione.

Promulgato a. 1917. Codice Iuris Canonici in patriam revertitur, a die 25 aprilis 1918 usque ad mensem novembrem a. 1918 munere curati militaris fungitur, castra captivorum praecipue nationis italicae visitans. Ab a. 1920 iterum in Urbe commoratur [3].

In Schola Archivistica a Pio Pp. XI instituta officio magistri insignitur, mox consultor renuntiatus plurimarum SS. Curiae Romanae Congregationum atque Commissionis Pontificiae ad Codicis J. C. canones authentice interpretandos. Insuper eidem incumbit officium consiliarii ecclesiastici Legationis Regni Hungariae apud S. Sedem (1920) necnon procuratoris Congregationis S. Montis Pannoniae O. S. B. item omnium Hungariae dioecesium. Die 30 novembris 1927 archiepiscopus Strigoniensis electus, die 19 decembris

---

[1] Natus 5 maii 1852, presbyter a. 1877, mox professor in Collegio Urbano de Propaganda Fide, postea vere in Instituto Parisiensi Catholico. Anno 1898 Ep. tit. Caesariensis et Delegatus Ap. in Republ. Peruana, Bolivia, Aequatoriana. A. 1902 revocatus et a secretis Congr. Negotiorum Eccl. extra ordinem. Inde ab a. 1904. in codificatione laborat. A. 1907 Cardinalis S. R. E., a. 1914 a Secr. Status Benedicti Pp. XV et Pii Pp. XI. Die 7 febr. 1930 annum agens 78-um hoc officio exoneratus codificationi iuris Orientalis praeficitur. Obiit 18. nov. 1934. aetatis suae anno 82.

[2] A. 1909–1910 in S. Monte Pannoniae munere catechetae concionatorisque fungitur.

[3] A. 1923 Francisco *Hanuy* professore iuris canonici in Facultate Theologica Univ. Budapestinen. ad canonicatum Ecclesiae Quinqueecclesien. promoto Ordo Theologorum Patrem J. Serédi invitaturus erat, ut eidem succederet. Ipse id renuit, quum nollet P. Card. Gasparri in opere suo relinquere. Quando Gasparri de his certior redditus est, imaginem suam luce pictam Iustiniano Serédi per Legatum Hungariae apud S. Sedem dedicavit hisce verbis: « in omaggio di vera stima ed amicizia ».

Cardinalis S. R. E. creatus, demum die 8 ianuarii 1928 ab ipsomet Summo Pontifice Pio Pp. XI in cappella Sixtina episcopus consecratus est.

Die 24 iunii 1936 a Facultate Juris Civilis Universitatis Oxoniensis doctor ad honores creatur una cum cl.mo Antonio Eden, tunc ministro negotiis externis Imperii *Britannici* praeposito.

Iamdudum ex corde laborans, incursionibus aereis et aliis belli mundani motibus consumptus annum 61 agens die 29 martii 1945 viam universae carnis est ingressus.

His praemissis oculos in Justinianum Card. Serédi canonisticae peritissimum et Ecclesiae praesulem coniciamus.

I. *De Iustiniano Card. Serédi canonista.*

Triginta annos vitae suae codificationi et Fontium C. J. C. collectioni impendebat. Ipsemet in testamento suo haec scribit:

« Ex intimo corde gratias ago Deo Optimo, quod ad eruditionem meam scientificam, ad emolumentum Congregationis Hungaricae, in servitio Ecclesiae per triginta annos continuos (durante primo bello mundano iussu Benedicti Pp. XV. in Aedibus Vaticanis hospitio Cardinalis Gasparri per triennium receptus) operam navare mihi licuit in conficiendo Codice Juris Canonici ac in conficiendis eiusdem Fontibus » [4].

1. Codificationi iuris canonici labente serie annorum multi operam insumebant, at collaborator Petri Card. Gasparri maxime deditus strenuusque fuit profecto Iustinianus Serédi. Introductio historica ad Codicem Iuris Canonici et collectio fontium necnon eorumdem canonibus respectivis adaptatio arte ipsius factae sunt. Inde ab anno 1908 permanenter coniunctus est cum Petro Card. Gasparri, qui canones redactos ad eundem transmittit, ut fontes respectivi ipsis adnotentur [5].

---

[4] Circulares Archidioecesanae Strigonienses, a. 1945, pag. 12 sqq.

[5] « Reverendo Padre, Qui unita la pars II De rebus fino alla fine. La prego rimettersi al lavoro delle annotazioni con energia. Memento mei. Aff.mo Pietro Card. Gasparri » (16 - IX - 1912). — Altera epistola sine dato : « Padre Giustiniano. Rileggete questi canoni, specialmente il Canone aggiunto. Verrò domani sera a prendere questi canoni e gli altri che avrete corretto. Saluti distinti. Pietro C. Gasparri ». — « Mercoledì. Reverendo P. Giustiniano. Non mi mandi le bozze corrette, aspetti invece le mie e tenga conto nelle sue delle correzioni fatte nelle mie. Io sarò da lei venerdì sera o giovedì sera. Saluti. P. C. Gasparri ». — « Roma, 10. febr. 1914. Reverendo Padre, La stamperia Le rimetterà il lib. I e II. Veda se le correzioni sono fatte. ...Verifichi se i rinvii sono esatti. Badi se le note rispondano bene ai canoni... e completi le nuove note, se è necessario. Io sarò in Roma verso il 10 Ottobre ed allora mi rimetterà il suo lavoro. Frattanto continui le annotazioni al

Antequam Regnum Italicum bellum indixisset (1915), Petrus Card. Gasparri iubente Benedicto Pp. XV. Patrem Iustinianum in Aventino domiciliatum adiit eumque monuit, ut res sibi necessarias festinanter colligeret, cum ipsum a monasterio diutius abesse oporteret. Gasparri raeda sua ipsum ad Aedes Vaticanas vexit, alioquin timendum fuisset, ne P. Serédi, utpote civis hungaricus a Gubernio italico tamquam potestatis hostilis subditus carceri manciparetur, quo impeditus fuisset, quominus operi codificationis ulterius interesset. Exinde, a. 1915-1916-1917, usque ad promulgationem Codicis Juris Canonici P. Iustinianus Serédi in Aedibus Vaticanis commoratur hospitio fruens Petri Card. Gasparri. Ibidem labori incumbit, quotidie Summum Pontificem convenit qui benigne erga ipsum, tamquam in Aedibus Vaticanis captivatum affectus est. Ex propinquitate ista physica constat Cardinalem Gasparri super omnibus quaestionibus circa opus codificationis emergentibus cum Patre Serédi consiliatum esse et omnia schemata recentiora Codicis Juris Canonicis ab eodem Patre Serédi revisa esse.

Inter scripta a Justiniano Card. Serédi relicta vidi schema quoddam Codicis Juris Canonici typis impressum (pag. 1013, in 4°), anno 1916 (iul.-aug.) Romae editum in quo 2438 numerantur canones. Multa correcta et deleta sunt, praesertim in Libro De processibus. Serédi adhibito stilo plumbeo acerulei coloris canones iterum numeris signabat, dum summa eorum definitive ad *2414* perveniret.

Item inter scripta Cardinalis Serédi inveniri possunt tria exemplaria ulteriora Codicis Juris Canonici anno 1917 typis adhibito penicillo impressa (vulgo: prove di stampa a spazzola) [6] et Codicis Juris Canonici Textus (definitivus) cum emendationibus minoris momenti.

Nullum in Codice Juris Canonici canonem invenies qui curam diligentem Justiniani Serédi fugerit. Gasparri et Serédi adnotationes alterius sibi invicem tradebant atque communi studio pro perficiendo adornandoque operi nitebantur. Canones maioris momenti durante opere ipsius praeparationis examini Summi Pontificis sub-

---

Libro V. Distinti saluti. P. C. Gasparri. – Io ho messo lettera maiuscula alle parole Episcopus, Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis, Moderator supremus, Superior, Capellanus e qualche altra simile... »

[6] J. Serédi manu propria haec inscripsit: Bozze terzultime per la stampa definitiva del Codice di diritto Canonico senza note a. 1917.

Bozze penultime per la stampa... a. 1917.

Bozze ultime... a. 1917.

Bibliotheca S. Montis Pannoniae. B. K. I. Scripta Codific. Serédi, nr. 15.

missi sunt [7], tandem die 26 maii 1917, furente bello mundiali « Pontifex Pacificus » ad promulgandum Codicem Juris Canonici procedere potuit. Eventus iste opere quodam tectorio (vulgo: pittura a fresco) celebratur, in quo inter alios viros praeclarissimos etiam Justinianus Serédi conspicitur [8].

Occasione iubilaei 1400 annorum a promulgato Codice Justinianeo et 700 annorum ab editis Decretalibus Gregorii Pp. IX Congressus Juris Internationalis Romae celebratus est (12-17 novembris 1934), in quo 80 diversarum Universitatum Academiarumque magistri praelectiones habuerunt, aliae 50 Universitates vero per delegatos eidem interfuerunt. Etiam Cardinales Gasparri et Serédi sermonem habuerunt. Em.mus Serédi « *De relatione inter Decretales Gregorii IX et Codicem Juris Canonici* » disseruit. Absoluto in Aedibus Vaticanis Congressu J. Card. Serédi, praesentibus 17 S. R. E. Cardinalibus, permultis Archiepiscopis, Episcopis, Legatis variarum nationum, canonistis Curiae Romanae et praeclaris viris undique concurrentibus relationem coram Summo Pontifice habuit. Qualem urbanitatem erga homines coluerit, proditur vel eo, quod in relatione sua coram Romano Pontifice praelecta nominis patriaeque uniuscuiusque disserentis mentionem fecerit. Verbis pietate abundantibus labores Petri Card. Gasparri effert:

« Nec sibi nec suis collaboratoribus pepercit, sed diuturna nocturnaque manu fortiter futuros canones redigebat, ita ut annis tredecim ab incepto opere nondum elapsis novum Codicem sermone nobilem, argumenti dispositione luculentum, doctrina canonica atque discretione praecipuum, Christi denique Ecclesiae plane dignum Romano Pontifici approbandum eiusque suprema auctoritate promulgandum porrigere potuerit » [9].

---

[7] Inter scripta J. Serédi invenitur consignatio a P. C. Gasparri confecta continens canones Summo Pontifici exhibitos: « Canoni da sottomettersi al Santo Padre: Can. 5. 6. 9. 88, § 1. 92. 130. 134. 135. 137. 154. 162. 185. 213, n. 2. 232, § 1. 239, § 1. 245. 283. 295, § 2. 306. 308. 356. 358. 403. 415. 434. 448. 449. 453, § 1. 454. 458. 470. § 2. 476. § 3. 488. 528. 549. 562. 588. 624. 625. 640, n. 1. 641, § 2. 671. 767. 773, n. 2. 803. 821, § 4. 834, § 5. 859, § 3. 881. 926. 949. 957. 976, § 2. 977. 978. 979. 1008. 1013. 1026. 1047. 1048. 1049. 1053. 1054. 1056. 1063. 1071. 1080. 1081. 1082. 1083. 1095, § 1. 1102, § 1, n. 2. 1105. 1106, § 2. 1142, § 2. 1166, § 1. 1168, § 2. 1174. 1178. 1179. 1202, § 1. 1239, § 2. 1242. 1249. 1252. sequ. 1264. 1265. 1267. 1282. 1306. 1307. 1311. 1331. 1334. 1336. 1338. 1344. 1345. 1353. 1362. 1368. 1369. 1380. 1403. 1410. 1436. 1451. 1452. 1453. 1458. 1463 1522. 1531. 1712. 2015. (fino al can. 2069). 2081. 2277. 2281. 2288. 2290. 2292. 2306. 2343. 2363. 2365. 2367. 2388.

[8] De negotiis codificationem praecedentibus cfr. *J. Serédi, Il diritto canonico*, in: Osservatore Romano, die 31. maii 1936. Suppl. ad nr. 127.

[9] Apollinaris, a. 1934. pag. 407.

Praelectionem suam vero de Decretalibus Gregorii IX. hisce verbis propheticum sane spiritum spirantibus conclusit:

« Codex Juris Canonici, quatenus propter finem exclusivum omnes antiquas leges generales abrogat, itemque propter materiae quam continet universalitatem, propter fontium adhibitorum numerum, propter formae systematisque perfectionem, tandem propter maiorem influxum quem in Ecclesiae vitam disciplinarem per saecula exercebit, Decretales Gregorii IX omnibus numeris longe superat et *cum suo Em.mo Auctore* immortalis in Ecclesia Christi perseverabit » [10].

2). Promulgato iam Codice Juris Canonici Justinianum Serédi manebat conficere editionem Fontium textus Codicis Juris Canonici. Primum consilium captum est de Fontibus in XV voluminibus edendis. Volumini I inscribendum fuisset: « *Collectanea Fontium Codicis Juris Canonici* cura Em.mi Petri Card. Gasparri edita. Vol. I. exhibens Codicem Juris Canonici Pii X. Pontificis Maximi iussu digestum, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatum, Praefatione, Fontium annotatione et Indice analytico-alphabetico ab eodem E.mo Petro Card Gasparri auctum. Romae. Typis Polyglottis Vaticanis. 1925 ».

Volumini XV vero inscribendum fuisset: « Volumen XV (ultimum) exhibens varias omnium Codicis Juris Canonici fontium tabellas, itemque Indicem analytico-alphabeticum ».

Justinianus Serédi praefationem ad ista « Collectanea » composuit quam a Petro Card. Gasparri emendatam ex manuscripto hic publici iuris facimus. Quaedam notatu digna de valore iuridico Fontium in eadem leguntur:

« *Praefatio.* Pontificia Commissio pro Codice Juris Canonici rediigendo, quam rec. mem. Pius Papa X. sapientissimo consilio coegerat, ad mentem eiusdem Pontificis omnes disciplinares Occidentalis Ecclesiae leges uno Codice systematice comprehendere debuit. In quo arduo sane negotio plerumque non novas leges praeparavit, sed permultas antiquas eousque vigentes in toto vel in parte retinuit, alios iam obsoletas denuo restituit, alia suppressit, legitimas consuetudines scripto redegit, et tandem pro rerum temporumque necessitatibus novas adiunxit.

---

[10] Ius Pontificium. 1934. 180 Apollinaris 1934. pag. 407. Optandum foret, ut authenticae interpretationes canonibus insererentur seu ut editio altera emendata Codicis Juris Canonici conficeretur. Cfr. *P. Ciprotti*. Osservazioni sul testo del « Codex Juris Canonici », Roma, 1944.

Cum itaque Codex Juris Canonici a Pontifica Commissione ita redactus antiquis plerumque legibus, veluti fundamentis quibusdam superstruatur, ad genuinum Codicis sensum eruendum, nosse oportet fontes iuridicos, e quibus Codicis canones eliciti sunt. Ex innumerabilibus fere istiusmodi fontibus unice ad commodum studiosorum aliorumque qui Codice usuri sint, in eiusdem notis ad calcem paginarum positis multi indicantur. Et quidem citatio fit:

1. E veteri Corpore Juris Can.	fere in	8	400	casibus.
2. Ex conciliis generalibus	» »	1	200	»
3. E RR. Pontificum actis	» »	4	200	»
4. Ex libris liturgicis seu ritualibus	» »		200	
5. Ex actis Romanae Curiae	» »	11	200	»

Omnes fere, qui adhiberi potuerunt, fontes exhausti sunt; ceterum, etiamsi quidam fontes in Codicis notis forte non indicentur, eundem tamen valorem *interpretativum* retinent ad normam can. 2. 6. 22, quia ex ipsa citatione in Codicis notis facta fontes nullum peculiarem valorem iuridicum obtinent.

Igitur si fontes leges referunt generales aut particulares quae quoad rem, immo nonnunquam etiam quoad ipsum verborum tenorem *ex integro* in Codicem transierunt, canones ex ipsis redacti secundum ipsorum fontium sententiam veteresque et authenticas eorundem interpretationes a S. Sede factas et sec. probatorum Auctorum explicationes intelligi debent. — Eiusmodi fontes in Codice et in hac Collectione integri allegantur, adiectis etiam authenticis eorundem interpretationibus, quae a Conciliis Generalibus, a Romanis Pontificibus, a Curia Romana usque ad Codicis promulgationem promanarunt.

Si vero fontes, leges earumque interpretationes referunt quae *ex parte* tantum cum Codice congruunt, ad rectam canonum intelligentiam pro ea tantum parte adhiberi possunt, pro qua cum Codicis canonibus conveniunt. Id genus fontes pro conformi tantum cum Codice parte in eodem et in hac Collectione referuntur, adiectis etiam, si quae sint, istius partis interpretationibus authenticis.

Fontes qui antiquas leges *poenales* exhibent, quatenus delicti vel poenae conceptum iuridicum explicant, aut easdem quas Codex statuit sanctiones seu poenas adiectas habent, ad intelligendum Codicis sensum conferunt. Quae regula authenticis quoque earundem legum interpretationibus applicari debet. Ratio, cur in Codice complures quoque leges poenales citentur, quarum sanctiones poenales

cum ipsis poenis a Codice statutis forte discrepant, fuit: a) ut iuridica haberetur descriptio delicti de quo plectendo, vel poenae de qua applicanda agitur; b) ut indicaretur principium historico-iuridicum pro delicto, quod in respectivo canone refertur, iam ante Codicem adfuisse legem poenalem; c) ut Superiori vel Judici ecclesiastico pro casu, in quo poenae Codicis indeterminatae sunt (can. 2217, § 1, nr. 1), vel quamvis determinatae, tamen ipsi easdem moderari possunt (can. 2223), ex antiqua Ecclesiae disciplina afferantur exempla poenarum delicto congruentium, quas si voluissent, applicare valerent.

Fontes, qui *implicite* tantum in aliquo Codicis canone continentur, in eiusdem notis et in hac Collectione ea intentione referuntur, ut eorum ope varia *dubia* in posterum de eodem canone exoritura facilius ac tutius resolvi possint. Etenim de canonibus qui antiquas leges sive ex integro, sive ex parte referunt, cursu temporis oriri poterunt quaestiones, quae iam ante Codicem authentice solutae sunt. Cum vero de eadem lege idem dubium ex iisdem iuris principiis resolvi debeat: rationi congruum est, ut eiusmodi dubiorum solutiones authenticae iam ante Codicem factae in fontibus indicentur. Quod principium legibus quoque *liturgicis* applicari debet, quatenus istae leges ad mentem can. 2. et 6, n. 6. revocatae vel correctae non fuerint, quoties implicite saltem in Codice continentur.

Demum, quamvis Sacrarum Congregationum Romanae Curiae *decisiones particulares* in casibus singularibus leges non sint, sed potius legis applicationes a competente Ecclesiae auctoritate factae: nihilominus publicam et quodammodo authenticam legis in casu interpretationem et applicationem exhibent, unde simul etiam canonis, in quo citantur, sensum aperiunt. Quoniam autem eiusmodi decisiones in nonnullis causis (ex. gr. in irregularitatibus, etc.) fere innumerabiles colligi possent, illae tantum ex ipsis, quae magis ad rem pertinere canonemque illustrare videbantur, Codicis fontibus adnumeratae sunt.

Ex omnibus supradictis Codicis Juris Canonici fontibus unice in commodum studiosorum illi tantum hac Collectione complectuntur, qui *difficilius* inveniri possunt, quive in permultis collectionibus dispersi reperiuntur. Ut igitur viri studiosi aliique, qui Codicem adhibere voluerint, innumerorum fere fontium textum ab Ecclesia receptum paucis voluminibus collectum prae manibus habere ipsisque fontibus in inquirendo Codicis sensu facilius uti valeant: praetermissis fontibus depromptis e veteri Corpore Iuris Canonici, ex Concilio Tridentino et ex quattuor libris liturgicis (Pontificale Rom., Missale Rom., Caeremoniale Episcoporum, Rituale Rom.),

quippe quos unumquemque studiosum habere condecet, reliqui fontes, prouti cum Codice in toto vel ex parte congruunt, pariter ex integro vel ex parte tantum, omnes tamen ita referuntur, ut necessarius contextus habeatur. Nonnisi in exhibendis particularibus Sacrarum Congregationum Romanae Curiae decisionibus, quae in casibus singularibus editae sunt, fit exceptio. Cum enim huiusmodi decisiones verae, uti dictum est, leges non sint (can. 17, § 3), necessarium non duximus istas plerumque longissimas causas simul cum Consultorum votis integras referre, sed succinctam tantum cuiusque facti speciem cum adnexa decisione indicavimus. Ubi tamen eadem causa pluries in Curia Romana retractata sit, priores decisiones remissive potius indicantur, ultima vero uberius exposita inseritur. Ut autem viri studiosi integrum quoque legum atque decisionum textum, ubi maluerint, inspicere valeant: post singulos fontes remittuntur ad opera, quae iisdem studiosis magis accessibilia censebantur.

Dispositio vero fontium haec est:

1.) Temporis ordine referuntur leges Conciliorum Generalium, quae in veteri Corpore Iuris Canonici, in Actis Romanorum Pontificum, vel in S. Tridentina Synodo non inveniuntur.

2.) Itidem eodem ordine exhibentur acta Romanorum Pontificum, quae in antiquo Corpore Iuris Canonici desiderantur, ita tamen, ut fontes, qui ab ipso Legislatore in *paragraphos* divisi non sint, in hac editione utilitatis gratia numeris distinguantur. Pari modo quotiescunque lex relata ad alias forte provocat leges, quin ea accuratius determinet, istae quoque in eorundem studiosorum commodum ad calcem paginarum exactius plerumque indicantur.

3.) Curiae Romanae acta ita referuntur, ut singulae SS. Congregationes, Tribunalia et Officia auctoritatis ordine sibi subsequantur, in eodem vero genere acta temporis ordine disposita sint. Quoniam vero ista acta saepe duo data prae se ferunt: confectionis actorum et approbationis Pontificiae, in hac Collectione utrumque datum indicatur, dum in Codice nonnisi *approbationis* datum citatur, quia istius modi acta tum tandem vigere incipiunt, cum Pontificia approbatione muniuntur.

Singuli demum fontes singulis successive numeris distinguuntur, qui numeri per omnia Collectionis volumina currunt, ut Fontium citatio etiam hac ratione facilior ac simplicior evadat. Cum itaque fontes *auctoritatis*, in eodem vero genere *temporis* ordine dispositi sint: huius Collectionis usus facillimus erit omnibus, qui Codicis Iuris Canonici editionem cum Fontium adnotatione prae-

manibus habeant, quia in singulis fontium generibus requisitum fontem temporis ordine facili celerique negotio invenient.

Singulis porro digestorum fontium voluminibus praemittitur elenchus operum, ubi fontes in eodem volumine relati reperiri poterunt; itemque *Index* omnium fontium qui in eodem volumine referuntur.

Demum in ultimo huius Collectionis volumine variae subiunguntur Tabellae, in quibus eiusdem generis vel auctoritatis fontes in Codice Juris Canonici citati, sive referantur in hac collectione, sive non referantur, velut uno conspectu collecti variis sub respectibus diversimode disponuntur.

Quoniam vero non fontium ope Codicis canones, sed canonum ratione fontes quaeruntur: loco Indicis analytici omnium fontium in Codice citatorum Tabella confecta est, quae indicat, ad quemnam canonem canonisve paragraphum aut numerum unusquisque fons pertineat. Eiusmodi Tabella praecipue propter canones, qui plures simul causas (ex. gr. iura, privilegia, obligationes, conditiones, impedimenta, irregularitates, etc.), enumerant, perutilia, immo vero necessaria videntur. Caeterum Index analytico-alphabeticus in Codice Juris Canonici positus etiam pro hac fontium Collectione sufficit. Ubi enim huius Indicis ope inventus est canon, de cuius argumento quaeritur, simul in eiusdem canonis nota etiam fontes reperti sunt ».

Fontibus tandem titulus inscriptus est: « *Codicis Juris Canonici Fontes cura Emmi Petri Card. Gasparri editi* ».

In notis ad calcem cuiusque paginae Codicis Juris Canonici hic est *ordo fontium:*

1.) Corpus Juris Canonici, ordine et modo consueto citatur, scil.

a.) Decretum Gratiani: Distinctiones, Causae, Dist. de poenit. (Causa XXXIII, 4, 3.), Distinctiones de cons. Citantur sublineando verba: *de poenit., de cons.*

b.) Decretales: X, VI, Clem., Extravag. Joann. XXII, Extravag. comm. Citantur, ut in schedis, tituli *integre* exscribantur atque sublineantur.

c.) Concilia ordine chronologico; cum abbreviationibus ut in schedis, sublineando verba quae respectivi decreti materiam indicant.

d.) Summi Pontifices ordine chronologico, nomine Papae integre scripto, cum abbreviationibus in schedis servatis, sublineando verba initialia constitutionum; in parenthesi Concil. oecum., e. g.: Eugenius IV (Conc. Florentin. sess. XXI), const. « *Cantate Domino* » 4. febr. 1441, § 12. (N. 572).

e.) Sacrae Congregationes hoc ordine:

S. C S. Off. vel: S. C. S. Off. (*Sect. de Indulg.*), vel: S. C. S. Off. (*Sect. de Indice*).

S. C. Ep. Et Reg., — S. C. Consist., — S. C. de Sacramentis, — S. C. C., — S. C. de statu Regul., vel: S. C. de Religiosis, — S. C. de Prop. Fide, — S. C. Indulg., — S. C. Indicis, — S. R. C., — S. C. Caerem., — S. C. pro negotiis eccles. extraordin., — Secr. Status. — Secret. Brevium, — S. C. Studiorum vel S. C. de Seminariis. — S. Poenit. vel S. Poenit. (*Sect. de Indulg.*), — Ordo serv. in S. C. etc. Curiae Rom., — Lex propria Rotae, — Ordo serv. in iud. ap. S. R. Rotae, — Ordo serv. in iud. ap. Sign. Ap., — Vicariatus Urbis.

f.) Libri rituales:

Missale Rom., — Pontificale Rom., — Caeremoniale Episcopor., — Rituale Rom.: cum abbreviationibus.

Quantae molis fuerit Fontes in unum redigere eorumque editionem typis mandare, elucet ex quibusdam litteris quas P. Justinianus Serédi aliis etiam muneribus supramodum gravatus ad *P. Albinum Balogh O. S. B.* dedit. Permissu eiusdem liceat aliqua ex iisdem excerpta publicare:

« Quod superest, bene valeo, at quandoque negotia tam numerosa mihi incumbunt, ut nisi ratione praeditus sim, insanire me oporteat. Quod tamen a me absit. Undique quaestionibus canonicis vexor. Insuper causas desperatas deberem salvas facere. Nunc quattuor causae hominum spe destitutorum penes me sunt, quarum resolutionem favorabilem a S. Sede impetrare debeam, quod tamen ipsae causae minime admittunt » (Roma, 15. II. 1923).

« Adhuc labore obrutus sum. Volumen primum Fontium C. J. C. circa Idus iulii in lucem prodibit. Quod opperiri debeo. Postea tamen mox in S. Montem Pannoniae redibo » (Roma, 5. VII. 1923).

« In Schola Archivistica Pontificia hoc anno supra modum occupatus sum, permulta enim documenta pro quaque praelectione mihi colligenda sunt. Valde gauderem, utinam universam materiam comprehendissem. Praelectiones italico sermone habeo. Hucusque centum vel quasi auditores easdem frequentant. Quum id die 2 februarii Suae Sanctitati rettulissem (valde curiose enim me de Schola interrogavit), dixit se benedictionem apostolicam impertiri omnibus qui *perseverant*. Quam benedictionem auditoribus meis referendo adiunxi: Speremus eam *omnibus* profuturam esse... Ex volumine II Fontium C. J. C. paginae 500 paratae sunt, quod est dimidium totius. Hoc sane quoque me gravat! Insuper multa negotia mihi commissa, commercium epistolare de rebus iuridicis, etc., etc. Cito la-

bitur tempus! Hucusque — Deo gratias! — nullum incommodum perpessus sum. Patiens eram laborum. Valde opto, dummodo feriae aestivae mihi quieti laboris et recreationi sint! Lineamenta nostra (Statutorum scil. Congr. S. Montis Pannoniae O. S. B. ab ipso confectorum) egomet dactylotypice describo, quum exemplaria lithographice impressa legi non valeant. Etiam hoc iucundum est munus extraordinarium... » (Roma, 10, II. 1924).

« In caeteris quoque operibus progressum facio. Volumen V Fontium C. J. C. quoad collectionem materiae supra medium praeparatum est. Spero fore, ut etiam typographia mense octobris 1927 illud ad finem perducat. At alia quoque me gravant negotia: hic Romae aliquo modo valde usitatus factus sum » (Roma, 25, XII. 1926).

« Quae ad praeparandum Volumen V. ex archivis colligenda erant, ad finem perduxi — Deo gratias! Per quinque integros menses, exceptis dumtaxat diebus festivis, quotidie in Archivo laboravi. Mense octobri quotidie per 8-9 horas ibidem commoratus sum. Nunc iam in camera mea licet prosequi opus. 730 paginae adparatae sunt. 400 circiter desiderantur. Quae si confectae erunt, veniendum est ad impressionem typographicam » (Romae, 25. II. 1927).

Collectio fontium Codicis Juris Canonici haud sine magno laborum multorum annorum fiebat. Quod Petrum Card. Gasparri minime latebat. Quum enim P. Justinianus Serédi manuscriptum fontes omnium canonum referens Petro Card. Gasparri porrexisset, more antiquorum monachorum haec in calce ultimae paginae scripsit: « Finis. I. O. + G. D.—D. Justinianus Serédi O. S. B., Romae, in Aedibus Vaticanis, XIII Cal. Nov. 1917 ». Cardinalis vero haec verba aestimatione plena manu propria addidit: « *Tibi gratulationes meas porrigo, etsi indigne. P. C. ad multos annos. Vale!* ».

Promulgato iam Codice Juris Canonici exorta est quaestio de Fontibus edendis. Non defuerunt, qui proponerent illos ordine canonum in lucem edi oportere. Quum tamen hoc pacto nonnulli textus repeti debuissent, Justinianus Serédi consilium cepit eos ordine auctoritatis edendi per VIII volumina, numeris nihilominus per omnia volumina currentibus.

Volumen I. anno 1923 (N. 1-364), II. anno 1928 (N. 365-544), III. anno 1933 (N. 545-713), IV. anno 1926 (N. 714-2022), V. anno 1930 (N. 2056-3704), VI. anno 1932 (N. 3705-4427) prodierunt iisque inscribitur: « Cura Em.mi Petri Card. Gasparri ». Petro Gasparri defuncto (18. novembris 1934) Justinianus Card. Serédi volumen VII. (N. 4428-5822) simili inscriptione munitum typis mandari voluit, at iussu expresso Pii Pp. XI. illud adposito proprio suo nomine edere et in praefatione declarare debuit sex priora volumina item

suo studio edita esse [11]. Volumen VIII (N. 5823-6464) anno 1938, tandem volumen IX. Indicem omnium fontium referens anno 1939 in lucem edita sunt.

Opere triginta annorum hisce completo Pius Pp. XI. Cardinalem Serédi hisce litteris notatu dignis honestavit:

« SEGRETERIA DI STATO DI SUA SANTITA'.

N° 8170. Dal Vaticano, 14 Novembre 1939.

A Sua Eminenza Reverendissima il Sig. Card. GIUSTINIANO SERÉDI Principe Primate d'Ungheria, Arcivescovo di Strigonia.

E.mo e Rev.mo Signor mio Oss.mo,

Il lavoro condotto a termine da Vostra Eminenza Reverendissima col IX volume della preziosa raccolta *Codicis Juris Canonici Fontes* è il degno coronamento di un'opera che lega in perpetuo il nome della Eminenza Vostra alla grande impresa dovuta alla provvida iniziativa della s. m. di Pio X la Codificazione del Diritto Canonico. — L'omaggio, che di questo volume Ella umilia alla Santità Sua, offre al Santo Padre l'occasione particolarmente gradita di significarle ancora una volta il grato animo della Santa Sede per una così lunga fatica e un così prezioso servizio. — Gli anni e le forze che Ella ha speso in questo lavoro con tanto zelo e successo, — mentre segnano un merito eccezionale nella feconda carriera dell'Eminenza Vostra, — hanno fruttato alla Chiesa un nuovo titolo alla comune riconoscenza; onde Ella può bene render grazie al Signore, di cui insieme con il compianto Cardinale Gasparri, ha servito la causa in un campo di tanta importanza. — Nell'esprimerLe questi augusti sensi, il Santo Padre rinnova a Vostra Eminenza tutti i Suoi voti per la prosperità sua e della intera Archidiocesi, a Lei invia di cuore, come pegno di benevolenza l'Apostolica Benedizione. — Mi è caro significar qui alla Eminenza Vostra la mia viva gratitudine per il cortese omaggio che Ella ha voluto fare anche a me; e baciando umilissimamente le mani, con sensi di profonda venerazione mi onoro professarmi di Vostra Eminenza Reverendissima Umil.mo Dev.mo Servitore vero L. Card. Maglione m. p. ».

Nomen Justiniani Cardinalis Serédi perpetuo coniunctum est operi magnifico Codicis Juris Canonici. Eodem modo, atque quon-

---

[11] « Codicis Juris Canonici Fontium sex voluminibus publicatis, cum maximo disciplinarum detrimento vivis ereptus est E.mus P. C. Gasparri, cuius cura eadem edita erant. Hoc septimum Fontium volumen publici iuris fit cura et studio infrascripti Cardinalis, *cuius studio memorata quoque sex volumina prodierant.* Romae, die 29 iunii 1935. Justinianus Card. Serédi, Princeps Primas Hungariae, Archiepsicopus Strigonien. »

dam S. Raymundus de Peñaforte Gregorio IX praesto fuit in colligendis Decretalibus, eodem modo Justinianus Card. Serédi Petrum Card. Gasparri indefesse adiuvavit in opere Codificationis perficiendo. Petrus Gasparri intendebat, ut Serédi ius proprietatis in Fontes sibi reservaret [12], qui tamen id utpote religiosus sollemniter professus renuit et proposuit, ut illud usque dum personalitas iuridica Sanctae Sedis in tuto posita esset a Petro Card. Gasparri reservaretur.

II. *De Justiniano Serédi praesule*

Justinianus Serédi de centro Ecclesiae universalis, de « Roma aeterna » praefectus est « Sioni Hungariae », sedi primatiali et metropolitanae Strigoniensi. Electio eiusdem inopinata quidem pro quibusdam fuit, sed minime admirati sunt, quicumque noverunt ipsum iam inde a viginti annis Ecclesiae universali serviisse.

Quaenam indoles eius fuerit? Liceat id aliquibus tantummodo lineamentis proponere.

1). *De homine Dei.*

Usque ad finem *modestia* et *morum simplicitate* praeeminuit. Nunquam honoribus inhiabat. Quando in actis diurnis mentio facta est eius, utpote futuri Primatis, duobus mensibus ante publicatam electionem, haec cuidam confratri suo scripsit:

« At nihil iam admiror: quidam adfirmant me placitis liberalismi imbutum esse, aliis e contra id excipientibus, quod liberalismo infensus sim, etc. etc. Bene mihi est, quod ex omnibus sacerdotibus hungaricis mihi uni pro minimo est, quisnam ad sedem primatialem eligetur. Opto et oro, dummodo vir aptus sit ille! Dignitati huic altae utique at responsabilitate gravatae neque mente inhio: nam et illam acceptare difficile esset. Qui hanc dignitatem ambit — insanus est ». (Roma, 9. IX. 1927).

---

[12] Relationem Justiniani Serédi ad Cardinalem Gasparri illustrant litterae, quas J. Serédi die 25. februarii 1922., occasione electionis Pii Pp. XI ad confratrem suum Albinum Balogh dedit: « Turbam 200000 hominum vel quasi tunc tumultuantem videre potui. Quando electio tandem facta est, nonnisi 70.000 hominum in Platea S. Petri adfuerunt, ceteris ob pluviam abeuntibus. Haec tamen turba aspectum curiosum praebuit, omnes enim sub umbrella steterunt. In loco quodam elevato constitutus animadverti nunc primum 70.000 umbrellas me videre.. Novus Pontifex vestigiis praedecessoris sui inhaerere optat, quod praesertim eo manifestatur, quod Cardinalem a Secretis Status iterum nominavit — novum sane quid. Sic egomet in negotiis sive Legationis, Ordinis et fors personalibus maxima cum fiducia adire potero D.num Cardinalem Gasparri. Etiam Suam Sanctitatem optime novi. Quum enim durante bello in Aedibus Vaticanis domiciliatus fuissem, propemodum singulis diebus ad invicem collocuti sumus cum Ipsa. »

Strepitum forensem et tumultum mundi fluctuantis perhorrescebat. Quotiescumque undae fori spumantes per cameram eius silentio servatam ruebant, pacis ac tranquillitatis animi sui detrimentum perpessus est. Spiritum sacerdotalem pietatem nunquam iactans servabat. In dignitatibus ecclesiasticis publicisque constitutus minime originis suae rudioris pudebat, immo eam efferre solitus erat. Felici animo pagi, in quo natus est, ludorum puerilium et parentum suorum recordabatur [13].

Quam simplicium fuerit morum, proditur vel eo, quod cognatorum suorum statum socialem vel oeconomicam provehere minime curabat. In latifundio beneficii sui primatialis neminem sibi propinquum ad officia admittebat, ne nepotismo indulgere videretur.

Etiam in munere praelaticio obeundo ad intra magis reversus erat. Canonistam Serédi etiam Cardinalis Serédi prodit. Nihil ei commune est cum praelatis « aetatis s. d. renascentis ». Usque ad finem morum simplicitatem custodiebat.

Eloquendi arte carebat. Sermones eius lente prolati ad normam logicae constructi mentes potius quam corda movebant.

Astutiam legatis propriam frustra in eo quaeres, etsi iunior officio consiliarii ecclesiastici Legationis Regni Hungariae apud S. Sedem functus sit. — Haud principibus feudalibus connumerabitur, quamvis grave sibi iniunctum officium censuerit, ut bona sibi ratione beneficii commissa conservet. Latifundium ecclesiasticum non pro se, sed tamquam pignus independentiae spiritualis et temporalis aestimabat, neque grave eiusdem onus ignorans.

Orationes eius in Academia S. Stephani, in Comitiis Catholicis, in Senatu Regni habitae summo applausu exauditae sunt, quum tutissimas normas ad solvendas quaestiones pro tempore emergentes praebuissent. Ex. gr. « De responsabilitate individuali et collectiva », item: « De libertate in iure canonico », etc. etc.

In colloquendo gravitatem magis quam affabilitatem paternam prodidit, sed libenter sermonem habebat cum clericis fidelibusque sibi subditis absque respectu morae temporis occasione conviviorum (vulgo: ricevimenti). Inter familiares suos saepe hilaritati laetitiaeque indulgebat.

---

[13] Gratias referens pro litteris cuiusdam amici sui occasione mortis parentum suorum scriptis haec scribit: « Patre meo defuncto etiam mater mea carissima e vita migravit. Lapsu trium hebdomadarum duo corda amisi, quae me maxime amaverant. Quantusvis sit tamen dolor meus, voluntati Dei Optimi acquiesco, immo gratias eidem ago, quod parentes mei longaevi in terris vixerint: pater meus 83, mater mea 80 annos nati mortui sunt. Gratias ago etiam, quod tamquam sacerdos Christi sacrificio missae animabus eorum succurrere potuerim » (Roma, 22. maii 1921).

Non erat unus ex novatoribus. Necessitas ordinem socialem reformandi fugebat ipsum, sed neque ordinationes salubres circa hanc quaestionem desunt. Testamento die 8. octobris 1944 vineam suae personae propriam 15 iugerum successoribus suis pro tempore existentibus legitimeque intrantibus legavit, ut iisdem iam a capta sede metropolitana oneribus suscepti beneficii liberati ad beneficentiam exercendam procedere valerent.

2). *De homine laboris.*

Dictum vestigiis S. Martini inhaerendo electum usque ad finem vitae suae fideliter servabat: *Non recuso laborem!* Romae quandoque per sedecim horas quotidie laborabat. Ipse Petrus Gasparri admiratus est, quantum laboris pateretur. Ad sedem primatialem promotus multiplicantur onera humeris eius incumbentia. In Hungaria tantum, vi iuris particularis, dignitas primatialis veram iurisdictionem et officium grave metropolitae Strigoniensi pro tempore existenti confert. Ipsum praeterea manebat grave regiminis archidioceseos negotium. Pluries archidioecesim suam visitavit, ritus pontificales sensu mystico plenos (ex. gr. confirmationem, etc.) gaudenti et attento animo celebrare solebat.

Ut alia omittantur, aliquot momenta vitae eius memorare iuvabit.

Tempore regiminis Justiniani Card. Serédi domus a Joanne Card. Simor nuncupata sacerdotibus aegroti et senio confectis destinata Strigonii erecta est, ubi sacerdotes infirmi familiaribus orbati foverentur. Regulas Coetuum Paroecialium et vestigalis ecclesiastici cogendi composuit. Regimen scholarum catholicarum (K. I. F.) perfecit. Praeclarae quoque excavationes Strigonii ab eodem inceptae sunt. Apostolatum laicorum seu Actionem Catholicam in Hungaria instituit. Anno iubilaei S. Emerici Ducis anno 1931 (Legatus a latere fuit A. Card. Sincero) et occasione Congressus Internationalis Eucharistici anno 1938 una cum iubilaeo S. Protoregis Stephani (Legatus a latere fuit SS. D. N. Pius Pp. XII, tunc Eugenius Card. Pacelli a Secretis Status) celebratis multum adlaborabat, ut sollemnitates rite praepararentur et nationi hungarae honori essent.

Justinianus Serédi membrum fuit plurimarum SS. Congregationum. In negotiis canonicis maxime arduis iterum atque iterum sententiam suam aperire rogatus est. Constitutio « Ad incrementum decoris » (De collegiis praelatorum et pronotariorum; anno 1934), item recentissimae electionis Summi Pontificis regulae (Const. « Vacantis Sedis Apostolicae; a. 1945) maximam partem ipso praeparante editae sunt. Etiam const. « Provida » de institutis saecularis-

bus votum quoddam a P. Justiniano Serédi in causa quadam particulari praeparatum in mentem revocat.

3.) *De homine scientiae.*

Per totum vitae suae cursum laboriosa investigatione scientifica occupatus erat. Quum die 24 ianuarii 1936 Universitas Oxoniensis Justinianus Card. Serédi titulo honoris causa insignisset, in monasterio Oxoniensi O. S. B. praesentibus diversorum ordinum religiosorum sodalibus et laicis de momento scientiarum hanc habuit orationem:

« In hac celeberrima studiorum generalium sede optimorum circumdato fratrum corona adsistentibus clarissimis hospitibus diversorum ordinum sodalibus perillustribusque viris laicis, liceat mihi praeprimis pro fraterna qua mihi frui datum est hospitalitate communi nostro Patri familias palam gratias reddere.

Verum indulgeatis mihi, ut *novissimus Oxoniensis Universitatis Doctor ad honores* et *supremus Hungariae Pastor* vos de recta scientiarum aestimatione alloquar. Non solum S. Benedicti filii, qui omni scientiarum genere ab incunabulis excoluisse compertum habemus, sed aliorum quoque Ordinum sodales scientias tanti aestimarunt, ut ipsa haec Alma Mater ex eorum collegiis olim efformata originem duxerit vitamque scientificam explicuerit. Periucundum autem mihi est perspexisse eosdem Ordines modo quoque consimili spiritu moveri, quando pro veteribus nova prope eandem scientiarum Universitatem collegia suscitare satagunt, almamque hanc matrem celebrare, ut pios simul et doctos sibi efforment alumnos. Optime enim noverunt *Ecclesiam veritatem non timere, sed falsitatem.* Ex historia autem mecum didicerunt Ecclesiam varia scientiarum genera nunquam non promovisse. Quod nostris praecipue tempestatibus utilissimum est, immo et indispensabile: ut Clerus saecularis et religiosus *non pietate tantum, sed et omne genus scientia* coram hominibus qui docti videntur, auctoritatem nanciscantur eamque retineat in utilitatem animarum, quae sibi creditae sunt.

Ipsos tandem S. Benedicti filios semper Confrater alloquor qui me S. Regulae spiritu tum in veneranda S. Gregorii Abbatia de *Downside*, tum in compluribus quae brevissima temporis usura in Britannia invisere potui monasteriis, tum denique in hocce studiorum Collegio hospitem, amicum, fratrem susceperunt. Dum pro tanta fraterna caritate grates ex corde rependo: cum ipsis ceterorumque Ordinum alumnis *licet natione seiunctus, fide, spe, caritate unitus* urgere et fovere solidaritatem, quam turbulentis hisce temporibus unicum pacis ac salutis internationalis remedium censeo.

Quae de scientifica iuventutis educatione, de auctoritatum, de catholicorum solidaritate, de internationali bono dixeram, Deus scientiarum Dominus, omniumque bonorum Auctor concedere dignetur, domus vero haec scientiarum et pietatis vivat, crescat, floreat ».

4). *De homine Ecclesiae patriaeque.*

Justinianus Card. Serédi se semper filium devotissimum, addictissimum, obsequentissimum, amantissimum Sedis Apostolicae praebuit. Si tempora belli furore turbata excipias, numquam omisit, quominus quotannis Romam peteret. Felici harmonia ius particulare consuetudine Hungariae statutum ad praecepta Ecclesiae universalia componebat. Quantavis simplicitate morum excelluisset, ad bonum commune patriaeque progressum promovendum in defendendis privilegiis primatis Hungariae constanter perseverabat non ignorans sibi grave illud incumbere onus, quod primas simul saluti patriae invigilare deberet.

Curiosum sane, at profecto non casuale, quod testamentum suum die 8 octobris a. 1944, die B. M. V. Magnae Hungarorum Dominae festo condidit, in quo haec verba fortitudinem eius illustrantia leguntur [14]:

« Quum in me ratio hungari eaque catholici in unam coaluissent, se invicem nunquam opprimentibus, immo potius adiuvantibus, idcirco Sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam et Patriam Hungaricam semper simul, vere et sincere diligere intendebam. Persuasum mihi est perfectius esse, quod ambobus simul serviatur, dum si separatur, etiam servitium unicuique debitum deficiat... Grates rependo Deo Providenti pro gratia extraordinaria, quod nedum in negotiis ecclesiasticis, sed etiam in vita sociali, oeconomica Hungariae, item in vita politica sive negotiorum internorum sive externorum, inter circumstantias quantumvis difficiles, respectus humanos respuerim, quod nulla mihi cura fuerit de periculo amittendae popularitatis, sed veritatem immutabilem proclamaverim, quin manifestationes meas gravissimas retractare, mutare, interpretari, aut modum priorem agendi rectificare vel plane negare debuerim ».

Neque id casu accidisse videtur, quod Card. Serédi, belli furoribus impavidus resistens modo heroico in residentia sua remanens ultimam ad Clerum allocutionem die 15 martii 1945, occasione sollemnitatis nationalis solitae ediderit:

« Palatium nostrum primatiale licet — proh dolor — incursionibus aereis quater, aliis ictibus pluries concussum et fenestris, ia-

[14] Circ. Litt. Archidioec. Strigonien. a. 1945, pag. 14-15.

COLLECTANEA FONTIUM CODICIS IURIS CANONICI

FONTES

CURA

EMI PETRI CARD. GASPARRI

EDITI

VOLUMEN I.

EXHIBENS ~~FONTES DESUMPTOS EX PLURIBUS~~ CONCILIO OECUMENICO ~~A NICAENO I USQUE AD VATICANUM,~~ ITEMQUE CONSTITUTIONES ROMANORUM PONTIFICUM USQUE AD ANNUM 1000.

N. 1-500

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXX.

Animadversiones ad Codicem Iuris Canonici.

N3. 1. Quando in fine alicuius lineae syllaba vocabuli ad sequentem lineam transferri debet: litterae c et t inter duas vocales occurrentes ab invicem separandae sunt, non vero coniunctim transferendae ad lineam sequentem, quia cum ct nullum Latinum vocabulum incipit. Ne scribatur: ele-ctio, sed: elec-tio.

2. Coniugatio periphrastica in usu est cum participio futuri activo et passivo, sed utrum in usu fuerit etiam cum participio perfecto passivo, indicent alii. Certe in Codice loco simplicis perfecti passivi fere semper coniugatio periphrastica usurpatur. (Loco: concessum est, erat, erit — fere semper dicitur: concessum fuit, fuerat, fuerit).

Pag. I. – Datum impressionis Codicis eritne a. 1916, an potius a. 1917?

Can. 18. – "loca Codicis parallela" = ad locos parallelos [quia loci pluralis – si de aliquo libro agatur, non est loca, sed loci].

31. – In manuscripto §2 deest!

42 §1. – Reticentia veri, seu obreptio... = .. seu subreptio!

§2. – .. expositio falsi, seu subreptio ... = .. seu obreptio!

Quamvis subreptio et obreptio ab auctoribus etiam promiscue adhibeantur, tamen usus communior subreptione veri reticentiam exprimere consuevit, quia vocem a verbo: subripere seu surripere derivat (surripere quod exprimi debuit). Fatendum tamen eam etiam a verbo subrepere posse deduci (subrepit quod verum non est). Obreptio contra nonnisi a verbo obrepere (clam ingredi) deducitur (clam ingreditur quod verum non est). Forte etiam in Codice retinendus esset usus communior, praecipue, quia etiam in antiquo Corpore Iuris per subreptionem veri reticentia significatur. Cf. c. 12, X, de sententia et re iudicata, II, 27; c. 57, X, de appellationibus, II, 28; c. 24, X, de verborum significatione, V, 40; c. 2, de filiis presbyterorum, I, 11, in VI; c. 1, de excessibus, III, 2, in Clem. etc. etc.

In can. 1253 § 1 dicitur ieiunii lege comprehendi etiam abstinentiam. – Can. 1255 § 1 loquitur de sola abstinentia, § 2 de abstinentia et ieiunio, § 3 de solo ieiunio. – Sed ieiunium comprehendit etiam abstinentiam iuxta conceptum in can. 1253 § 1 expressum. Unde can. 1255 § 2 videtur pleonasmum continere, sufficeret enim solum ieiunium exprimere, utpote quo etiam abstinentia significatur; § 3 autem nimium dicit. Prohibet neque reliquis Quadragesimae diebus carnes ad prandium.

Forte melius esset si ieiunio etiam in Codice id significaretur, quod ista expressio revera significat: abstinentiam plenam a carne vel [illegible] (iuxta naturale) ~~restrictionem~~ quantitatis, non vero qualitatis ciborum (iuxta eccles.). Restrictio qualitatis abstinentia exprimi solet. Unde respectivi canones de ieiunio et abstinentia ita mutari possent quoad formam, non quoad rem:

Can. 1252.

Abstinentiae lex alia est mitior, quae vetat statutis diebus carne iureque ex carne vesci; alia severior, quae insuper prohibet etiam ova et lacticinia ~~et quaelibet condimenta ex adipe animalis.~~]

~~[Prohibere etiam condimenta ex adipe animalis (calidi sanguinis) in regionibus, ubi oleum et butyrum desideratur, forte nimium est]~~

Can. 1253.

§ 1. Lex ieiunii praescribit, ut statutis diebus unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata quoad quantitatem locorum consuetudine.

§ 2. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere; nec serotinam refectionem cum prandio permutare.

Can. 1254.

§ 1. Abstinentiae lege mitiore tenentur omnes, qui septimum aetatis annum expleverint.

§ 2. Abstinentiae lege severiore necnon et lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vigesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum, si viri, quinquagesimum, si feminae.

Ex manuscriptis card. Serédi

[Can. 2411.]

C. 16, X, *de regularibus et transeuntibus ad religionem*, III, 31; c. 2, *de regularibus et transeuntibus ad religionem*, III, 14, in VI°; Clemens VIII, const. „*Cum ad regularem*," 19 mart. 1603, § 22; S. C. C., decr. 21 sept. 1624, § 1, 13; S. C. super Statu Regularium, decr. „*Romani Pontifices*," 25 ian. 1848, n. III.

[Can. 2412.]

Conc. Trident., sess. XXV, *de regularibus*, c. 17; S. C. Ep. et Reg., *Calagurritana*, 20 nov. 1818; *Camerinen.*, 15 iun. 1836; S. C. C., *Brundusina*, 13 febr. 1610; S. C. de Religiosis, instr. 30 iul. 1909, n. XII, XIV.

[Can. 2413, § 2.]

C. 4, *de officio ordinarii*, I, 16, in VI°.

[Can. 2414.]

S. C. de Religiosis, decr. 3 febr. 1913, n. II.

Finis.

I. O. + G. D.

D. Iustinianus Serédi
O. S. B.

Romae, in Aedibus Vaticanis.
XIII Cal. Nov. 1917.

nuis, tecte plerumque orbatum atque vix habitationi atpum, adhuc domicilium esse Archipraesulis Vestri, qui licet loco maxime exposito habitaret, *noluit locum commorationis iure divino-ecclesiastico sibi adsignatum mutare, ne abeundo residentiae legem offenderet*, neve ruinae exponeret valores morales et historicas, ecclesiasticos et patrios, quorum domus archiepiscopalis *sedes* et *arx* consideratur » [15].

Justinianus Card. Serédi die 29 martii 1945 in patriam coelestem migravit.

Sed remanent quaecumque operatus est. Nullius praedecessorum suorum nomen per universum mundum tam notum est, quam eius. Usque ad consummationem saeculi paginis Fontium Codicis Juris Canonici inscriptum est...

Josephus Bánk
in Facultate Theologica Budapestinensi Professor

---

[15] Circulares Strigonien. a. 1945, pag. 1.

CONVALIDATIO MATRIMONII ET DEFECTUS CONSENSUS.

Materia ardua.

Quaestio de opportunitate immutandi ius de convalidatione matrimonii et inducendi automaticam convalidationem, cum maxima cautione et circumspectione tractanda est, si agatur de invaliditate ratione *defectus consensus*. Nam in his casibus causa invaliditatis non est obstaculum *lege humana* statutum, prout est impedimentum iuris canonici, quod a legislatore tolli potest quoties non iam ex se cessaverit et prout est etiam praescriptum de forma iuridica servanda, cuius praescripti vis tolli et restringi potest ab eodem legislatore humano, sed agitur de defectu illius elementi quod natura rei est essentiale et necessarium in quolibet matrimonio; de elemento quod est, et quidem solum, *causa per se* matritrimonii; de elemento de quo docetur et canone 1081 declaratur: « *nulla humana potestate suppleri valet* ». Quapropter in hac materia disceptatio de mutatione et evolutione iuris nonnisi cum maxima cautela est agitanda.

Defectus consensus multiplex.

Praeprimis notandum est defectum consensus verificari pluribus modis, sat diversis etiam sub aspectu iuridico.

1. Distinctione analoga cum illa, qua usi sumus relate ad defectum formae [1], distinguendi sunt defectus consensus *totalis* seu absentia cuiuslibet consensus matrimonialis et defectus quo laborat consensus datus.

2. Distinguendi sunt defectus consensus ob deminutionem *virtutis* qua actus voluntatis est elicitus, e. g. consensus praestitus sub metu gravi seu mentis trepidatione, quae sane provocatur causa externa, sed quae, ipsa interna, movet voluntatem (etsi non modo absoluto seu cui resistere voluntas nequit, tamen graviter), et defectus consensus ex parte *obiecti*, e. g. quoties contrahens excludat matrimonii proprietatem essentialem.

In matrimonio enim non agitur de *quocumque* consensu sed de consensu *matrimoniali*, qui est consensus in obiectum bene determinatum, in quo continentur plura elementa. Exclusio alicuius elementi ex hoc obiecto potest efficere ut consensus etsi sit *aliquis*

[1] Vide articulum praecedentem in *Monitor Ecclesiasticus*, 1955, fasc. I, pag. 106 ss.

consensus, tamen non sit consensus *matrimonialis*, sed consensus alterius speciei.

Insuper, cum obiectum voluntatis non sit res externa in se, sed res prout ab intellectu proponitur ideoque prout ab intellectu cognoscitur, defectus consensus causam habere potest etiam in defectu intellectus seu in defectu cognitionis circa obiectum consensus, circa matrimonium eiusque elementa. Igitur, defectus consensus ex parte obiecti causas habere potest plures:

1. Ignorantiam.
2. Errorem [2].
3. Exclusionem, actu voluntatis, matrimonii ipsius aut iuris ad actum coniugalem aut essentialis matrimonii proprietatis aut sacramenti (saltem si de duabus agitur personis baptizatis) [3].
4. Exclusionem alicuius iuris, quod pertinet ad obiectum contractus matrimonialis seu ad obiectum consensus matrimonialis, sicut fit in sic dicto matrimonio inito sub conditione de futuro contra substantiam matrimonii [4].

Convalidatio et ius naturae.

Convalidatio matrimonii invalidi ob defectum consensus pro notabili parte dependet a iure naturae. Quoties matrimonium sit invalidum solummodo ob defectum formae aut solummodo ob impedimentum dirimens, habetur consensus vere datus et manifestatus, et insuper saltem communter, i. e. nisi interveniat retractatio consensus quae est actus positivus, perseverans. A. v. in hisce casibus invaliditas causata est elementis, quae cessare possunt. Impedimentum dirimens esse obstaculum *positivum* patet ex se. Si

---

[2] Error autem debet esse huiusmodi, ut impediat consensum matrimonialem. Saepe contingit ut non obstante errore, voluntas efficaciter vult matrimonium, sufficienter notum, etsi non perfecte notum. Elementa quae errore reputantur non esse comprehensa in obiecto volito, etsi reapse sint comprehensa, voluntas vult implicite seu tamquam realiter comprehensa in obiecto noto et volito, scilicet in ipso matrimonio quod vult et in quod consentit.

[3] Quoties agitur de matrimonio inter partes quarum saltem alterutra non est baptizata, oritur quaestio quae speciales praebet difficultates.

[4] De natura iuridica huiusmodi matrimonii sub conditione vide Vlaming-Bender, *Praelectiones Iuris Matrimonii*[4], p. 390 seqq.; L. Bender, *Conditio apposita et matrimonii nullitas*, in *Ephem. Iuris Can.* 1945; Item in *Nederl. Kath. Stemmen*, 1938.

Quae in Codice nostro, in c. 1089 leguntur de matrimonio per procuratorem pro parte pertinent ad consensum ipsum, pro parte ad formam manifestandi hunc consensum. Defectus consensus ex causa quae est huic matrimonio propria habetur tantum, si mandans consensum retractaverit (1089, § 3). Alii defectus qui matrimonio per procuratorem sunt proprii reduci possunt ad defectum *formae* in consensus manifestatione servandae.

sit impedimentum iuris naturae, cessare potest ex se seu factorum immutatione. Hoc modo impedimentum vinculi cessat morte coniugis. Si sit impedimentum iuris positivi eodem modo cessare potest (e. g. impedimentum aetatis: temporis cursu; impedimentum disparitatis cultus: receptione baptismatis), sed etiam dispensatione seu interventu superioris. Etiam defectus formae, etsi vocetur *defectus*, quod nomen proprie designat aliquid negativum, revera est obstaculum *positivum*. Est enim lex irritans, cuius vis *positiva* impedit quomimus causa de se sufficiens, scilicet consensus naturaliter sufficiens et sufficienter manifestatus, exserat suum effectum proprium [5]. Cum autem lex de forma servanda sit lex positiva, hoc obstaculum a legislatore amoveri potest, sive ante sive post consensum praestitum, sive pro aliquo determinato matrimonio sive pro multis matrimoniis simul, sive haec matrimonia singulatim cognoscantur et designentur sive designentur indicatione alicuius circumstantiae quae si adsit in casu, dispensatio conceditur ipso facto. Exemplum est aliqua lex, vel decretum, quo statueretur: lex de forma servanda non amplius obstat aut, aliis verbis, defectus formae non amplius obstat validitati matrimonii, quoties consensus invalide datus ob defectum formae, per tres menses perseveraverit. In hoc casu instituta esset automatica convalidatio matrimonii post tres menses a celebratione informi sequenda [6].

Ad defectum consensus quod attinet res aliter se habet. De hoc nullitatis causa non valet: causa invaliditatis est obstaculum, quod impedit quominus consensus seu ipsa propria causa matrimonii, etsi vere praestitus, suum producat effectum. Minime. Hic defectus est vitium *ipsius causae matrimonii;* hic *ipsa causa* la-

---

[5] Aliud est factum, quod lege statuitur impedimentum, esse defectum seu aliquid negativum, (e. g. defectum aetatis), aliud est obstaculum seu id quod proprie impedit ne consensus producat suum effectum (scilicet matrimonium validum) esse aliquid negativum. Hoc ultimum utpote *impediens* effectum causae revera agentis (consensum) nequid esse nisi aliquid positivum.

Una sola exceptio videtur esse impotentia, quod est aliquid negativum. Sed exceptio est tantum in apparentia. Nam impotentia est status personae, quo fit ut *verus consensus* ob defectum obiecti *non adsit nec adesse possit*, et nullatenus aliquid quo consensus vere elicitus seu vere agens non producat suum effectum. Impotentia proprie secumfert absentiam veri consensus matrimonialis, cum secumferat defectum seu non existentiam obiecti huius consensus.

Ceteroquin, impotentia nullum habet momentum pro iure circa convalidationem, cum sit impedimentum simul naturale et perpetuum, ita ut numquam cessare possit neque ex seipso neque interventu superioris.

[6] Esset sicut sanatio in radice concessa pro multis casibus simul, qua non multa matrimonia hic et nunc seu eodem momento sanantur, sed multa sanantur diversis momentis et vi legis quae suam vim exserit permanenter seu dispositione iuris quae tractum habet successivum, ita ut toties aliquod matrimonium invalidum convalidetur, quoties incipit versari in circumstantiis lege designatis.

borat defectu. Ipsa causa deficit sive ex toto (fictio) sive ex parte (e. g. consensus datus ex errore vel metu gravi).

Cum autem non vi iuris positivi, sed vi iuris naturalis, a. v. ex ipsa natura rerum ad validitatem requiratur verus et sufficiens consensus, consensus scilicet sive actualis sive virtualiter perseverans (virtualis autem consensus non datur nisi prius elicitus fuerit consensus actualis, ut patet), totum problema de convalidatione matrimonii invalidi ob defectum consensus intime cohaeret cum iure naturali, a. v. pro maxima parte est quaestio iuris naturalis [7]. Legislator enim humanus habet quidem potestatem impediendi matrimonium etsi habeantur omnia quae natura sua sufficiunt ad efficiendum matrimonium validum, non autem e converso habet potestatem efficiendi matrimonium validum etsi desit consensus sufficiens seu natura rei requisita. Nam consensus nulla humana potestate suppleri potest (canon 81).

Ut tuto possimus iudicium ferre de opportunitate inducendi aliquam convalidationem automaticam pro matrimoniis invalidis ob defectum consensus, prius caute inquirendum est de possibilitate huius convalidationis. Quidquid enim est de possibilitate aut de utilitate praesumptionis iuris et de iure admissae in hac materia, huiusmodi praesumptio aut concipitur ut convalidatio automatica eiusque habet effectus (validitatem matrimonii veram) aut concipitur ut mera negatio actionis seu iuris petendi sententiam nullitatis. Si primum, ipsa certo admitti nequit in casibus, in quibus Ecclesia nequit convalidare matrimonium, quia deest causa matrimonii propria et omnino necessaria, quam supplere nulla humana potestas potest (c. 81). Si e contra secundum admittatur, effectus iuridicus huiusmodi praesumptionis non est matrimonium validum et proinde plures effectus, ad quos attingendos Bartoccetti desiderat et commendat hanc iuris immutationem, non attinguntur: vita coniugum non redditur obiective bona seu normis iuris et moralitatis consentanea; coniuges non recipiunt Sacramentum eiusque gratias; etiam isti coniuges postea in coelo mirabuntur detegentes se numquam fuisse coniuges. Huiusmodi praesumptione iuris et de iure id tantum obtinetur, ut matrimonium etsi invalidum accusari nequeat de invaliditate et sic paeveniatur causa et minus gravantur tribunalia et evitetur scandalum quod quandoque sequitur ex declaratione nullitatis si fiat post lungam et pacificam

---

[7] Dico: pro maxima parte. Non omnino *ex toto*. Nam praecipue hodie dantur etiam casus, quibus matrimonium est invalidum ob defectum consensus vi legis positivae, ut, saltem probabiliter, tenetur de casu metus gravis.

cohabitationem, praecipue si sententia desideratur propter rationes non honestas [8].

Attamen, nos attendere oportet etiam ad alium aspectum. Petitio nullitatis tarda non fit semper propter rationes ignobiles. Defectus consensus etiam non raro invocatur post longum spatium temporis a memento consensus dati et quidem a parte metum gravem passa, quia ipsa non prius cognovit hanc possibilitatem aut quia per notabile tempus iam separata a marito et certior facta de possibilitate movendi causam invaliditatis, nunc solummodo habet occasionem contrahendi alias nuptias, qua occasione petitio sententiae nullitatis proprie fit utilis [9]. Defectus consensus etiam non raro invocatur in casibus, in quibus eius causa est iuvenum non catholicorum levitas animi vel conceptus erroneus circa leges naturales matrimonium regentes. Hic status mentis apud huiusmodi personas saepe est ex toto vel ex notabili parte inculpabilis utpote effectus educationis non catholicae. In hisce casibus denegatione actionis (praesumptio iuris et de iure) tollere quamlibet possibilitatem reparandi effectus huiusmodi erroris vel consensus, cum alteruter divortio civili ab alio coniuge iam separatus ad fidem transit catholicam, non videtur commendandum. Et huiusmodi casus in regionibus non ex toto catholicis sunt sat frequentes.

Doctrina iuris naturalis.

1. Matrimonium convalidari nequit nisi momento convalidationis adsit in utraque parte verus consensus matrimonialis, saltem virtualis. Hic consensus saltem virtualis adesse nequit, nisi utraque pars aliquando elicuerit consensum matrimonialem *actualem*. Iure naturali tamen non requiritur ut hic consensus actualis sit praestitus proprie momento celebrationis seu momento quo consensus sit manifestatus. Iure naturali sufficit ut post actum, qui

---

[8] Sunt casus in quibus non desideratur separatio seu vinculi de facto existentis cessatio propter invaliditatem aut propter mala cohaerentia cum causa huius invaliditatis, sed propter aliam rationem, non honestam. Haec ratio non honesta tunc est causa qua, non raro duce aliquo viro iuris canonici perito, quaeritur et invenitur defectus consensus, qui tunc adhibetur ut medium obtinendi sententiam nullitatis. Si non intervenisset voluntas peccaminosa, utraque pars numquam appetivisset hanc sententiam et numquam detegisset matrimonii invaliditatem aut, eo detecto casualiter, matrimonium novo consensu convalidasset.

[9] Personae, quae huiusmodi gravissimam passa est iniuriam, qua alii gravem metum incutientes eam ad matrimonium celebrandum duxerunt et quae post communionem vitae infelicem plus minusve brevem vivit a coniuge de facto separata, non tam facile procedit ad movendam causam nullitatis, cum omnibus incommodis et expensis huiusmodi causae adnexis, nisi sententia nullitatis sit sibi *utilis*, a. v. nisi habeat possibilitatem et occasionem concretam ineundi alias nuptias.

de se est manifestatio consensus matrimonialis, sed in casu concreto fuit manifestatio consensus non vere existentis seu non vere eliciti (fictio) coniux eliciat consensum actualem verum [10].

2. Consensus tam actualis quam virtualis potest esse deficiens seu laborans defectu. Imo, proprie loquendo consensus virtualis perseverans eodem laborat defectu, qui invenitur in consensu actuali, qui est eius causa et origo. Dico: proprie loquendo. Hoc verbo intendo notare hanc enuntiationem referri ad illum consensum, qui est *vera causa et origo* consensus virtualis nunc existentis. Hic consensus non est semper et necessario ille consensus actualis, qui est praestitus et manifestatus in initio seu momento celebrationis matrimonii invalidi. Per se et iure naturae non excluditur ut pars contrahens momento celebrationis praestet consensum actualem non sufficientem seu laborantem defectu, quo causatur consensum virtualem non sufficientem seu laborantem eodem defectu (eodem modo insufficientem), sed post annum elapsum eliciat alium consensum actualem perfectum seu non laborantem hoc defectu. Tunc abhinc in hac persona habetur consensus virtualis sufficiens seu perfectus. Nam hic consensus virtualis causam et originem habet non a *primo* sed a *secundo* consensu actuali. Exemplum esset actus Caiae, quae post consensum in actu celebrationis invalide datum, puta propter exclusionem indissolubilitatis (de quo agit canon 1086, § 2) mere interne factam, post annum actu interno vere consentiat ad normam canonis 1136 § 2. Si momento consensus recte praestiti matrimonium non esset adhuc convalidatum, quia obstat aliquod impedimentum dirimens occultum solo marito notum, postea, impedimento sublato dispensatione Titio concessa, renovatione consensus a Titio solo peracta (c. 1135 § 3) matrimonium esset convalidatum. Nam consensus Caiae perseverat seu consensus Caiae habetur virtualis et insimul iste consensus est sufficiens nulloque laborat defectu ratione renovationis consensus ab ipsa interne elicita post annum a celebratione matrimonii [11].

---

[10] Conf. canonem 1136 § 2.

[11] Animadvertendum tamen est secundum consensum tunc tantum sufficere quoties defectus consensus fuerit *mere internus* seu non externe manifestatus, i. e. non perceptibilis ab aliis ex signis, modo agendi aliisve elementis externis. Quoties defectus consensus sit etiam manifestatus externe, iste consensus virtualis insufficiens novo actu non substituitur consensu virtuali sufficienti, nisi novus actus seu novus consensus etiam *externe sit manifestatus*, imo in forma iuridica si defectus sit simul externus et publicus seu sic ut probari possit in foro externo. Nullus enim actus voluntatis seu consensus mere *internus* aliquid efficit in contractibus sive *celebrandis* sive *convalidandis*. Contractus enim utpote negotium externum non fit nisi actibus externis et quidem natura rei, cui derogare lex humana nequit.

3. In ordine ad corrigendum seu sanandum consensum datum sed laborantem defectu, ita ut a momento correctionis habeatur et vigeat consensus virtualis seu consensus perseverans sufficiens ad convalidandum matrimonium, non omnes casus nullitatis ob defectum consensus sunt eiusdem indolis. Ut ea, quae distinguenda sint, recte distinguantur praeprimis necessarium est attendere ad differentiam inter consensus defectum cuius causa est in *obiecto* consensus et consensus defectum cuius causa est in *virtute volendi* seu consentiendi. Contingit ut aliquis consensu seu actu voluntatis agit circa id, quod est verum obiectum contractus matrimonialis, sed ut nihilominus matrimonium sit invalidum, quia hoc non vere voluit aut voluit voluntate nimis imperfecta seu vitiata. Ad hos casus referuntur: fictio seu consensus ficte datus: consensus datus sub metu gravi iniuste incusso. In casu fictionis *obiectum* consensus non laborat defectu (non est, ut ita dicam: mutilatum, corruptum), sed fingens, optime sciens de quo agitur et de quo quaeritur suus consensus et de quo versatur suus actus externus (verba consensus manifestationem significantia), retinet (non praestat) consensum. cohibet, impedit actum voluntatem; vim volendi. Et hoc interne tantum. Item, qui metu gravi coactus consentit, optime scit de quo agitur et consensum praestat circa tale obiectum, quod est verum obiectum contractus matrimonialis, sed non elicit actum voluntatis qui habet perfectam vim seu virtutem, quia agens nimis movetur ab extrinseco.

Contingit autem etiam ut aliquis praestet consensum seu actum voluntatis plenam habentem vim seu virtutem volendi, sed hic consensus cadit in aliquod obiectum, quod non est verum obiectum contractus matrimonialis, sed est aliquid aliud (nam aliquod corruptum, mutilatum quoad elementum essentiale). Haec obiecti mutilatio seu corruptio (rarissime erit aliqua substitutio cum alio obiecto ex toto diverso) iterum duplicem induere potest formam, prout causam habet in intellectu (cognitione), a quo consensus dependet vel in ipsa voluntate sola. Exempla prioris casus sunt casus ignorantiae circa naturam matrimonii ut societatis permanentis ad filios procreandos; erroris circa personam, etc. In talibus casibus voluntas seu consensus nequit cadere nisi in id quod intellectus ei proponit et hoc non est obiectum contractus matrimonialis, cuius obiectum est constitutio huiusmodi societatis cum hac determinata persona. Exempla alterius casus sunt illi casus, in quibus voluntas ipso suo actu ex obiecto quod vult (eligit, appetit) excludit elementum essentiale (puta: omne ius ad actum coniugalem; aliquam essentialem proprietatem matrimonii: ius ad actum coniugalem du-

rante aliqua periodo, e. g. durantibus periodis in quibus mulier concipere potest aut post secundum filium natum [12].

Differentia inter diversas illas figuras « defectus consensus » momentum habet pro possibilitate convalidationis postea evenien-dae quin habeatur consensus renovatio novo actu. Nam differentia influit in illum statum voluntatis, qui post consensum non recte datum viget. Non quilibet enim defectus consensus eadem facilitate novo actu reparatur et sic tollitur. Si causa defectus consensus sit in solo *defectu volendi* momento celebrationis, facilius contingere potest ut hic defectus postea suppletione (novo actu voluntatis) tollatur. Qui ficte egit seu cohibuit consensum (propter aliquam rationem) aut qui metu gravi motus consentiit, hac de re optime sibi conscius est et postea, causa non amplius existente (causa scilicet aversionis a matrimonio, in genere vel cum hac persona, non amplius urgente) non impeditur a consensu adhuc eliciendo sive explicite sive implicite. Si e contra, causa defectus consensus fuerit exclusio, ex obiecto consensus, alicuius elementi essentialis, facta a *sola* voluntate seu independenter ab intellectu, reparatio iam fit difficilior. Consentiendum enim est in alio obiecto, magis completo, magis perfecto; saepe secumferente maiora onera seu obligationes. Haec difficultas iam habetur si defectus fuerit provocatus a voluntate alterutrius tantum contrahentis independenter ab alia parte seu absque mutua conventione. Difficilius adhuc fieret si agatur de consensu tali modo dato *ex utraque parte*, in virtute conventionis praeviae et *mutuo consensu statutae*. Nam in huiusmodi casibus persona quae consensum sic defectu laborantem praestitit, sibi conscia est se non posse sola *sua* voluntate defectum reparare et insuper reputat, sane erronee sed revera et non absque ulla ratione, se fraudem committere erga compartem, unilateraliter mutans obiectum consensus, quo post conventionem factam et acceptatam contraxit matrimonium. Etsi enim hoc iudicium nitatur conceptu erroneo circa naturam consensus matrimonialis et circa

---

[12] De huiusmodi defectibus agunt canones 1086 § 2 et 1092, n. 2., uterque suo modo. Semper tenui et propugnavi sententiam canonem 1086 § 2 non habere sensum *exclusivum*. Canon statuit exclusiones hic enumeratas causare nullitatem matrimonii, quin statuat has *solas* habere hunc effectum et proinde non dari alias exclusiones quae invalidum reddunt matrimonium. Huiusmodi causa est e. g. exclusio iuris coeundi in determinatis periodis, puta in periodis in quibus mulier concipi potest ex coitu tunc habito. Etiam hanc exclusionem seu restrictionem iuris causare invaliditatem propugnavi in *Nederl. Kath. Stemmen*, 1938, p. 262 seqq; in *Ephemerides Iuris Can.* 1945, fasc. I. Pius XII hanc doctrinam proclamavit in Sua allocutione habita die 29 Octobris 1952. Conf. etiam: L. Bender, *Consensus matrimonialis et conditio de servanda continentia periodica*, in *Ephemerides Iuris Can.* 1951, n. 2-3: *Ius et usus iuris*, in *Ephem. Iuris Can.* 1953, n. 1.

consequentias morales actuum malorum, homines communiter fidem sic datam concipiunt, scilicet ut aliqualiter obligantem erga compartem et secundum hoc agunt [13].

Magis difficile adhuc evenit reparatio defectus consensus, qui causam et originem habet in defectu intellectus (ignorantia, errore circa personam). Hoc valet etiam si defectus causam habeat non in solo intellectu, sed simul in voluntate, agente sub influxu erroris, sicut habetur quoties positivo actu voluntatis excludatur elementum essentiale, e. g. indissolubilitatem, quia consentiens erronee persuasum sibi habet matrimonium non esse indissolubilem sed divortio solvi posse et ad hoc tunc sibi retineat ius. Hoc errore persistente practice impossibile est ut pars novo actu reparet consensus dati defectum.

Ex his expositis deducitur: in casibus in quibus matrimonium invalide celebratum est ob defectum consensus, non facile iste defectus consensus cessat seu sanatur consensu saltem implicite renovato. Proinde raro habebitur fundamentum naturaliter requisitum ut possibilis sit convalidatio automatica.

Conclusio.

Quae sunt exposita iustificare videntur conclusionem, convalidationem automaticam non esse inducendam pro matrimoniis invalidis *ob defectum consensus*. Legislator nimis se exponeret periculo lege positiva convalidandi (melius: faciendi conatus convalidandi) matrimonium, cuius convalidatio iure naturali seu natura rei fieri nequit, quia deest fundamentum et causa cuiuslibet convalidationis, scilicet illa propria causa matrimonii, quae est consensus, de quo ipse declarat: « quod nulla humana potestate suppleri valet ».

In hac igitur parte seu in quantum agit de convalidatione matrimoniorum invalidorum ob defectum consensus nequimus con-

---

[13] Sunt saepe huiusmodi difficultates, quae tanta impediunt homines ne finem imponant cohabitationi adulterae sub specie matrimonii civilis institutae. Paecipus quoties alia pars non est catholica et proinde non admittit plures normas morales quas nos cognoscimus et admittimus. Hoc proprie contigit in re matrimoniali. Mulier catholica, quae a marito suo legitimo separata (divortio civili) libere et conscienter nuptias civiles inivit cum viro honesto non catholico, qui pro parte sua sincere tenet hoc matrimonium esse verum et normis moralibus conforme, si non aliis rationibus, iam hoc obstaculo a relinquendo hunc virum impeditur (si stimulis conscientiae et timore Dei inquietetur), quod tunc aliquid facere debet quod a viro et aliis, etiam personis honestis habetur infidelitas ad verbum datum, et quod viro, nullatenus culpabili, causat gravissimos dolores, damna, deceptionem etc. Sane obligatio consulendi conscientiae et salvandi animam non tollitur difficultate. Sed nemo non videt, quae gravissima obstacula hic sunt vincenda.

sentire cum Bartoccetti, propugnante convalidationem automaticam. Mihi videtur illum maiorem rigorem, qui in hoc habetur in Codice nostro (vide art. cit. p. 271, n. 24) esse omnino iustificatum et fundatum in natura huius defectus.

Notae criticae speciales.

Ad quaedam particularia, quae in laudato articulo Bartoccetti leguntur hic attendere nos iuvat, quia sunt quasi obiectiones quas quis nostrae sententiae seu iudicio obiici potest:

1. Legislatione Codicis « nulla manent plurima matrimonia, quibus natura sua nihil deest ad validitatem » (p. 272, n. 26). Hoc videtur verum, dummodo verbum « plurima » intelligatur « plus quam unum », sed non si intelligatur « multa » seu « tot matrimonia, ut horum numerus praebeat motivum mutandi ius ». Matrimonia nulla *ob defectum consensus* (de hisce nunc loquitur auctor et loquimur nos) sunt non pauca, forsitan multa; sed de paucissimis eorum valet, quod *natura sua* nihil deest ad validitatem ideoque quod sunt capacia convalidationis automaticae.

2. (ibidem) « Omnes vero Codices Civiles statuunt quod matrimonia sub vi et metu celebrata impugnari non valent postquam pars coacta, libertate a metu habita, cohabitavit per mensem (Cod. Ital.), per semestre (Cod. Gall.) ».

Ni fallor, in Codicibus Civilibus sermo est de iure impugnandi validitatem seu de actione; non de *convalidatione* vera. Codices civiles non solent considerare ius naturale neque multum curare de natura matrimonii eiusque indigentiis instrinsecis. Codices civiles imbuti sunt spiritu iurispositivismi, quo tenetur id esse ius quod legibus positivis continetur et statuitur, quin requiratur ut hoc ius non sit iuri divino seu naturae rei (naturae matrimonii) contrarium. Legislator civilis practice procedit a doctrina: personae, quae externe seu pro foro civili sunt legitimi coniuges, etiam revera sunt coniuges et a legislatore solo dependet statuere normas quibus haec validitas regitur. Pro legislatore civili coniuges sunt personae, quae etsi invalide contraxerint, tempus utile ad movendam causam nullitatis neglexerunt. Canonista autem et legislator ecclesiasticus sciunt doctrinam veram esse aliam; illam scilicet quam modo exposuimus. Ipsi sciunt ius positivum ad convalidandum matrimonium nihil valere, quoties desit verus consensus matrimonialis. Appellatio igitur ad exemplum iuris civilis in favorem convalidationis automaticae non habet magnam vim.

3. « Ex disciplina hodierna possibiles redduntur causae nullitatis matrimonii ob vim et metum, motae a marito vel ab uxore

postquam matrimonio celebrato et metu cessato, voluntarie cohabitaverunt, per decennia, filios genuerunt... » (art. cit. n. 32).

Hoc esse aliquod malum et causam scandali non raro gravis, nemo negabit. Ex hoc tamen non sequitur hoc malum esse praeveniendum quolibet medio. Impugnandum est mediis aliis, magis idoneis. Si haec inveniri nequeunt malum tolerari debet. Abundant leges, quibus in aliquibus circumstantiis subditi abuti possunt et aliquando abutuntur, cum gravi aliorum scandalo. Hic abusus solus non semper est ratio mutandi legem. Ex abusu legis, aliquando contingente sequitur solummodo legem esse mutandam, *si hoc fieri possit quin evocentur alia mala vel damna graviora.*

4. « Maxima liberalitas regnat quoad sanationem in radice. Quare tunc omnino impedire convalidationem? » (Ibid. n. 28).

Respondendum esse videtur quod sanatio in radice saepe datur in casibus invaliditatis ob defectum formae vel ob impedimentum dirimens, non autem in casibus nullitatis *ob defectum consensus.* Ni fallor, tunc numquam aut nonnisi rarissime sanatio conceditur, imo plerumque ne valide concedi quidem posset. Quare haec ratio non militat pro convalidatione automatica inducenda in favorem matrimoniorum invalidorum ob defectum consensus.

Corollarium.

Occasione huius dissertationis Bartoccetti etiam propugnat ut pro *omnibus* sententiis nullitatis habeatur confirmatio Romana. Nemo non videt huiusmodi systema dicendi ius collaturum esse ad hoc ut periculum ne sententiae erroneae executioni mandentur diminuatur. Si hoc periculum esset *solum* malum quod debemus in hac materia evitare, mutatio iuris proposita esset laudanda. Dantur tamen alia damna et graves inconvenientiae in praxi iurisdicendi in tribunalibus et inter ea eminet *prolixitas.* Communiter fideles, quorum matrimonium est nullum per multos annos expectare debent, ancipites haerentes de felici exitu, antequam obtinent sententiam qua iis datur ius convolandi ad novas nuptias [14]. Hoc esse damnum gravissimum, nemo non videt. Estne tam desiderandum ut hoc tempus adhuc prolongetur et certissime non per pau-

[14] Nuper audivi mulierem, in magna quadam diocesi domicilium habentem, quae adiverat praesidem tribunalis ecclesiastici propter causam nullitatis matrimonii introducendam et quae hanc obtinuit responsionem : causa est seria, potes eam proponere, sed eam incipere tribunal nequit nisi post saltem duos annos. *Incipere* post duos saltem annos ! Forsitan tres. Et quando tunc habebitur finis ? Iam sub nostra legislatione ? Et quando erit finis, si deinde post secundam sententiam adhuc expectanda erit approbatio a *Roma*, si omnes totius mundi approbationis causa ibi conveniunt ?.

cos menses, quia quaelibet sententia, post duas sententias latas in favorem nullitatis, adhuc Romam mitti debet ibique confirmari?

Ut ius habenti sit utile, non sufficit ut hoc ius ei *aliquando* concedatur a iudice, sed requiritur etiam ut hoc ius ei *tempestive* concedatur. Etiam in Ecclesia bonum commune promovetur bona simul *et expedita* iuris destributione. Non raro contingit ut a sententia qua matrimonium declaratur nullum, dependeat bonum animarum. Sane, numquam a *sola* sententia. Quilibet fidelis absolute loquendo potest salvare animam suam in quibuslibet rerum adiunctis. Sed ad animarum salutem de facto multum conducere vitae socialis et proinde iuris distributionis optimam ordinationem (et in casibus, in quibus sententia invaliditatis matrimonii personis praebet facultatem se liberandi ab occasione proxima aut a periculo peccandi aut reapse hanc personam ab hoc periculo liberat, iuris distributionem non solam rectam sed et expeditam, absque nimia delatione) est principium quod a magisterio Ecclesiae et a doctoribus continuo docetur et in iure canonico constanter applicatur. Inconvenientiae quae timentur a defectu peritiae iudicum ecclesiasticorum mediis magis directis et minus nocivis sunt eliminandae, praecipue curando ut tantummodo instituantur iudices competentes, numero sufficientes, ita ut casus maturo studio possint subiicere.

Neque expectari potest ut quaelibet sententia sit obiective vera et hoc omnium iudicio. Hoc enim exigeret donum infallibilitatis, qua homo in rebus practicis minus adhuc gaudet quam in rebus speculativis; et quae propterea ne apud S. R. Rotae auditores aliosve quibus in Roma committeretur officium confirmationis sententiam invenitur. Etiam apud S. R. Rotam contingit ut aliqua sententia ab uno turno lata ab alio turno ulterioris scilicet instantiae, corrigatur seu non confirmetur. Sententia iudicialis semper est et manet opus humanum. Ni fallor Clarissimus Bartoccetti non sufficienter attendit ad sapientiam, proverbio expressam :« le meilleur est souvent l'ennemi du bien ».

Dr. L. Bender. O. P.

« MONUMENTA IURIS CANONICI »

De textuum iuridicorum Corpore edendo

Ex quo R. Pontifex Pius f. r. Papa XI Stephano Kuttner opus editionis « Corporis Glossarum » curandum mandavit, huiusmodi consilium, a Suprema Ecclesiae auctoritate initum, non iam depositum est. Primos fructus maturare coepit, cum volumen primum « Prodromi » huius Corporis Glossarum, i. e. Repertorium quoddam Codicum mss. omnium generum litterariorum activitatis scientificae glossatorum usque ad Gregorium IX, iam anno 1937 typis ederetur [1]. — Proh dolor, immani saeviente bello, inter quod non solum musae sed scientiae quoque, praeter bellicas et bello inservientes, silebant, opus coeptum parum progressum est [2]. Pace restituta etiam consilium operis restauratum est, primo incitationibus studiisque privatis tantum, donec celebrationes posthumae octavi centenarii a Decreto Gratiani composito recurrentis (Bologna-Camaldoli-Roma) occasionem praebuerunt ad publica vota proferenda. Quae quidem ipse Summus Pontifex in oratione sollemni coram sodalibus Conventus habita mira sapientia excitavit confirmavitque dicens omnino optabile esse, ut non solum nova Decreti Gratiani editio paretur, verum etiam documenta iuridicae et canonicae doctrinae in Decretistarum Corpus redigantur. Conventus, praehabitis collatis consiliis fructuosisque insuper disceptationibus, organizationem quam dicunt totius laboris summis lineamentis adumbravit atque in votis concretis edixit, quid faciendum et quomodo procedendum esset, ut vota ipsa quam primum et quam maxime in praxim deducerentur [3].

Quibus omnibus obsecundabant deinde viri non pauci hac in re specialis scientiae periti atque nonnulli Praesides Facultatum, Academiarum, Institutorum cultui scientiae, praesertim historicae, deditorum et libenti animo se ad omnia quae communem cum aliis laborem instituendum foverent accessuros pollicebantur, proprias Sedes erexerunt, instrumenta aliaque huiusmodi inquisitionibus ac studiis necessaria suppeditarunt.

Interim de constituenda Sede Internationali agebatur, quae denique, auctoritate scientifica cl.mi Stephani Kuttner et opibus

---

[1] Stephan Kuttner, *Repertorium der Kanonistik*, Studi e Testi 71, Città del Vaticano 1937.

[2] Supplementum quoddam istius *Repertorii* apparuit in *Traditio* I, 1943 (*Bernardus Compostellanus Antiquus*), 277-340.

[3] Cf. de his omnibus *Monitor Ecclesiasticus* 77, 1952, 347-360.

cl.morum benefactorum, nomine « Institute of Research and Study in Medieval Canon Law » in nobilissima Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Urbe, Washington D. C., fundata est mense maio anni nuper elapsi. — Iam dum res feliciter aguntur, Conventus paratur omnium ad quos res praecipue spectat. Qui, plerique, Conventui ipsi decies Internationali Scientiarum Historicarum Romae habituro interesse debent, ita ut una simul res de edendo Corpore textuum iuridicorum tractari queant. Quapropter eis nuntii congressionis Romanae et una simul conspectus rationum ac rerum disceptandarum mittuntur. Novam confirmationem addidit ipsa Sancta Sedes, quatenus R. Pontifex Pius Papa XII, de fundatione Instituti Internationalis certior factus, statim per Secretariam Status prof. St. Kuttner litteras gratulatorias et hortatorias mittendas curare dignatus est.

Die 6 Septembris anni 1955 Romae Congressus plenus habitus est sub auspiciis Bibliothecae Apostolicae Vaticanae: Eminentissimus Card. Mercati necnon Rev.mus Abbas A. Albareda, Bibliothecae praefactus, benignissime et humanissime exceperunt eos qui consilio in ipsa Bibliothecae aula habendo interfuerunt: St. Kuttner (praeses), R. Benson, R. Bidagor S. J., L. Boyle O. P., C. R. Cheney, G. Forchielli, G. Fransen, J. Gaudemet, L. Guizard, W. Holtzmann, R. W. Hunt, E. F. Jacob, E. H. Kantorowicz, G. Post, L. Prosdocimi, H. Schmidinger, A. M. Stickler S. D. B., J. Watt, G. Zanetti. Uti hospites interfuerunt: F. Baethgen (Mon. Germ. Hist.), J. M. Desmet (Universitas Lovaniensis), A. Gwynn S. J. (Collegium Universitatis Dublinen.), Ch. Lefebvre (S. R. Rota). — Inibi, praeterquam in particularibus sessionibus praeparatoriis et subsequentibus, discussiones institutae sunt et conclusiones convenerunt de quattuor praesertim argumentis: de organizatione totius cooperationis singulorum virorum et Sedium cum Instituto Internationali Centrali; de obiectis laboris; de eorum distributione; de methodo in textuum transcriptione et editione adhibenda.

His de historia consilii editionis Corporis textuum canonicorum classicorum breviter relatis de ipsis conclusionibus pauca enarrare liceat:

Institutum Centrale Washingtonense per se munere scientifico tantum fungitur, quatenus labores aliorum cum aliis componit vel etiam eos distribuit, principia methodica, collatis consiliis elaborata, cum omnibus communicat, omnium observationes, experientiam, fructus colligit atque omnibus tradit, opus ipsum moderatur; deinde adsistentiam praebet aliis, mediantibus propriis ima-

ginibus Codicum mss. luce impressis (microfilm) et subsidiis pro posse ministrandis, ut huius speciei, vel etiam phototypice impressae, imagines aliae cum aliis comparari possint; ex propria porro cartotheca omnes subministrabit notitias undique collectas, quae cooperatoribus necessariae vel utiles sunt; insuper in quaestionibus specificis solvendis singulis sociis praesto erit et libenter uniformitatem omnium editionum curabit et pro iis spondebit, quas singuli cooperatores vel Instituta, labore absoluto, examini eius submittent.

Ut haec omnia competenter, sollerter, aeque praestari possint, in sinu Instituti Centralis, praeter Consilium directionis cuius praeses St. Kuttner ad quinque annos electus est, Consilium scientificum institutum est quod hodie sequentibus viris componitur: Anselmo M. Albareda O. S. B. (Bibl. Apost. Vaticana), Ramon Bidagor S. J. (Pontif. Universitas Gregoriana, Romae), Lowrie J. Daly S. J. (Universitas St. Louis), Giuseppe Forchielli (Universitas Bononiensis), Gérard Fransen (Universitas Catholica Lovaniensis), Walther Holtzmann (Institutum Historicum Germanicum, Romae), Richard W. Hunt (Bibliotheca Bodleiana, Oxford), Ernst H. Kantorowicz, (Institute for Advanced Studies, Princeton) Gabriel Le Bras (Universitas Parisiensis), Terence P. McLaughlin C. S. B. (Pontificium Institutum Studiorum Medii Aevi, Toronto), Charles R. D. Miller (Academia Medievalis Americae Sept.), Klaus Mörsdorf (Universitas Monacensis), Willibald M. Plöchl (Universitas Vindobonensis), Roscoe Pound (Universitas Harvard), Jacqueline Rambaud-Buhot (Bibliotheca Nationalis Parisiensis), Edward G. Roelker (Universitas Catholica Washingtonen.), Alfons M. Stickler (Pontificium Athenaeum Salesianum Taurinen.), Samuel E. Thorne, (Universitas Yalen.), Walter Ullmann (Universitas Cantabrigen.), William C. Warren (Universitas Columbia).

Insuper Coetus sociorum correspondentium, ut dicunt, habetur, cui, ad praesens, adnumerantur: Giulio Battelli (Bibl. Apost. Vaticana), Robert Benson (Universitas Princeton), Leonard Boyle O. P. (Collegium Sti. Clementis, Romae), Christopher R. Cheney (Corpus Christi Collegium, Cantabrigiae), Antonio García García O. F. M. (Collegium Franciscanum Chipiona, Cadix), Jean Gaudemet Universitas Parisien. et Argentoraten.), Erich Genzmer (Universitas Hamburgen.), Louis Guizard, (Institutum Catholicum Parisien.), Pieter Huizing S. J. (Pontif. Universitas Gregoriana, Romae), Ernest F. Jacob (All Souls Coll., Oxonii), Pierre Legendre (Parisiis), Corrado Leonardi (Romae), Rudolf Motzenbäcker (Noviomagi), Willem Onclin (Universitas Lovaniensis), Luigi Prosdo-

cimi (Universitas Senensis), Heinrich Schmidinger (Institutum Cult. Austriacum, Romae), Reinhold Schramml O. S. A. (Collegium Stae. Monicae, Romae), Jürgen Sydow (Bibl. Status Ratisbonae), John Watt (Collegium Universitatis Dublinen.), Schafer Williams (Cheverly, Md.), Karl Weinzierl (Universitas Monacen.), Ginevra Zanetti (Universitas Sassarien.).

Instituta, quae qua talia vel quorum praesides et sodales labori consociatio adhaerent, et singuli socii per se stantes, nullo vinculo iuridico Instituto Centrali uniuntur sed independentia plena gaudent, nisi in singulis casibus vel circa determinata negotia contractum formalem inire velint. — Quamdiu Institutum Centrale propriis Actis eget, notitiae per ephemeridem *Traditio* divulgantur [4].

Editiones sub nomine « MONUMENTA IURIS CANONICI » prodibunt. Quae collectio in tres dividetur sectiones: *Corpus collectionum*, *Corpus Glossatorum*, *Subsidia*. Si editio a quodam Instituto particulari paratur, accedente tamen sponsione Instituti Centralis, utriusque insignia in titulo libri typis imprimentur et utrique suum tribuetur.

Obiecta eorumque distributionem quod spectat summaria sufficiat informatio: In sectione *Corporis Collectionum* primum locum obtinet Decretum Gratiani. Nova eius editio tamen multas investigationes laboresque praeliminares circa Codices mss. non paucos requirit et proinde collegium plurium cooperatorum. Huiusmodi laboribus operam navant praeprimis Parisienses — duce J. Rambaud-Buhot, quae Bibiothecae Nationalis Parisiensis Codicibus mss. conservandis praeest — pro Codicibus mss. Decreti, qui in Gallia et in Bibl. Apost. Vaticana asservantur; pro Codicibus mss. Austriae W. Plöchl cum coetu cooperatorum; pro Germania J. Sydow (Ratisbonae); pro Hispania A. García O. F. M. (Chipiona, Cadix); pro Italia G. Forchielli (Bononiae). Postquam investigationes praeparatoriae expletae sunt, coetus virorum editionem ipsam curantium constituetur.

Secundo loco Decretalium editionibus opera danda est. Reapse Prof. W. Holtzmann iam diu Decretalibus saec. XII earumque collectionibus studet atque recte sperandum est se fructus laboris mox publici iuris facturum esse.

Collectionibus antegratianis, quae momentum iuridico-historicum independens habent, quarum praecipua tamen ratio habenda est in editione Decreti Gratiani paranda, coetus quoque cooperato-

---

[4] De omnibus, quae hic summarie exponuntur, fusiores notitias iam in dicto ephemeride *Traditio* XI, 1955, 429 ss. (auctore St. Kuttner) invenies.

rum, duce G. D'Ercole (Romae, Pontif. Athenaeum Lateranense), operam navat.

Maximum momentum actuale, ideoque cura princeps tribuitur laboribus promovendis circa *Corpus Glossatorum*, quo scil. comprehenduntur varia operum Decretistarum et priorum Decretalistarum genera. Quoniam editiones plurimorum huiusmodi operum statim et a singulis parari possunt, etiam fructus citius maturescent et utilitati multorum inservient. Quaedam tamen, propter maiorem molem, maiore quoque tempore et collegio quodam operis sociorum indigent. In praesens a sequentibus sequentia opera edenda suscepta sunt:

Opera ex schola Bononiensi: Duae parvae Summae: *Ius aliud divinum* et *Sicut vetus testamentum:* P. Huizing S. J. (Romae) — Summa Stephani Tornacensis: W. M. Plöchl (Vindobonae) — Summa Simonis de Bisignano: T. P. McLaughlin (Toronto) — Summa Huguccionis: A. M. Stickler S. D. B. (Augustae Taurinorum) cum sociis: R. Castillo-Lara S. D. B., G. Sesto S. D. B. (ibidem), G. Catalano, P. Huizing S. J., C. Leonardi (Romae), L. Prosdocimi (Senis), R. Schramml O. S. A. (Romae), G. Zaretti (Sassari) — Richardi Anglici Distinctiones, Brocarda, Summa brevis: J. Watt (Dublin) — Summae decretalium Ambrosii et Damasi: H. Schmidinger (Vindobonae-Romae) — Quaestiones Claustroneoburgenses (Joh. Teutonicus et Tancredi): W. M. Plöchl (Vindobonae).

Ex schola Gallica-Rhena: Summae *Elegantius in iure divino* (Coloniensis) et *Et est sciendum* (Glossae Stuttgardienses) necnon index Quaestionum disputatarum: G. Fransen (Lovanii) — Summa *Antiquitate et tempore:* P. Legendre (Parisiis) — Summa *Imperatoriae maiestati* (Monacensis) et opera affinia: K. Weinzierl (Monachii) — Summula de praesumptionibus (*Perpendiculum*): R. Motzenbäcker (Noviomagi) — Summa *Animal est substantia:* A. J. De Groot O. P. (Lovanii) et R. Schramml O. S. A. (Romae).

Ex schola Anglo-Normanna: Summa *Omnis qui iuste iudicat* (Lipsiensis): R. Benson (Princeton Univ.) — Honorii Summa quaestionum: St. Kuttner (Washington) — Richardi Anglici Summa quaestionum: W. Ullmann (Cantabrigiae) — Summa *Prima primi uxor* et opera affinia: B. Tierney (Washington).

Ut iam in transcriptione et praeparatione textuum omnes modo communi et quam maxime uniformi procederent, principia et normae generales methodum quod spectat proponuntur, quae singulis obiectis magis propria esse debent scl. collectionibus textuum lega-

lium et operibus scientiae glossatorum. De his omnibus cuius interest singula fusius discere adeat expositionem cl.mi St. Kuttner [5].

Nemo est qui non videat et recognoscat progressus et fructus maturescentes illius consilii Supremae Ecclesiae Auctoritatis, adornandi scl. *Corpus Glossarum;* nemo insuper qui non perspiciat quantae utilitatis sit huiusmodi textuum publicatio omnibus, quorum interest noscere profundius immo funditus leges et doctrinam circa Ecclesiae disciplinam illo tempore elaboratam, quo auctoritas legalis universalis suprema et auctoritas doctrinalis, ipsaque universalis, viribus unitis et communi consilio atque auxilio illud systema iuridicum construxerunt, quod sub nomine iuris decretalium venit et robur constituit ipsius Codicis iuris vigentis Ecclesiae Latinae [6]

Verum cognitio iuris classici eiusque evolutionis, mediante editione « Monumentorum iuris canonici » istius, non solum canonistis ob scientificam rationem hodie quoque est necessaria (cf. cann. 6, 20, 22, 23, 30), sed ea neque cultores historiae iuris civilis neque omnes alii qui, quolibet modo et in quacumque regione, historiae student, carere possunt, quod expresse agnitum et admissum atque luculente edictum est in votis Congressus Iuridici Internationalis Gratiani, quibus sive a iuris canonici et civilis peritis sive a viris in historicis scientiis doctis unanimiter maior cultus historiae iuris canonici, praesertim classici, expostulatur, qui hucusque, deficientibus editionibus operum classicorum, vel nullo modo vel non satis vel non accurate fieri potuit. Proinde scientias iuridicas et historicas generales istis editionibus plurimum profecturas sperandum est [7].

Necessitas talis incrementi, in concentu scientiarum historicarum, omnino, ex praxi quoque, patet. Etenim, cum Congressus ille historicus internationalis, Romae mense septembri 1955 habitus, de omnibus fere disciplinis principalibus et auxiliariis ad historicas regiones pertinentibus tam expositionibus et communicationibus sic dictis quam discussionibus fuse ageret, iuris canonici historia fere ab omni parte neglecta est, quamvis eius momentum in omnibus historiae aetatibus, praesertim tamen aetate media maximum, quinimmo principale iudicari posset et Ecclesiae ipsius historiam, vicissitudinibus civilibus et saecularibus intime adnexam, longe lateque efformasset et determinasset, ita ut actio et mens, quae Ecclesiam perdurantibus saeculis rexerint ex historia iuris canonici facile

---

[5] In *Traditio* XI, 1955, 435 ss., ad IV.

[6] Cf. Card. Serédi in *Acta Congressus Iuridici Internationalis* Romae habiti anno 1934, vol. IV, 1937, 26.

[7] Cf. de his votis *Monitor Ecclesiasticus* 77, 1952, 353 s.

cerni possint. Quod ipse Summus Pontifex in sermone coram Congressus sodalibus habito expressis verbis edixit [8].

Dicta ratio scl. defectus editionum multorum operum, quibus evolutio iuris classici efficitur et manifesta fit, absque dubio causa proxima haberi debet, cur historia iuris canonici parum cognita ideoque eius momentum in historia generali cognoscenda parum recognitum sit. — Causa tamen remota potius constituitur defectu virorum doctorum, praesertim ecclesiasticorum, qui huic scientiae ecclesiasticae severe studuerint. « Monumenta iuris canonici » eiusmodi defectui mederi possint, quatenus investigationes faciliores reddent, quinimmo forsan eorum studium et delectationem excitabunt.

Quod valde exoptandum est, ut genuina Ecclesiae universalis disciplina magis in dies cognita et nota fiat, ipsa Ecclesiae mens ex omni parte clarescat, veritas sive historice sive practice omnibus innotescat tam iis, qui vitam et vicissitudines Ecclesiae recogitant, ut eas amice vel infense iudicent, quam iis quibus eas aliquo modo definire et regere onus incumbit. Qua de causa verba ab Em.mo Card. Ottaviani nuper prolata animos omnium consilio « Monumentorum iuris canonici » in praxim deducendo adlaborantium perquam grate confirmant; atque permultos, qui inde bonos fructus capiant, confirment [9].

A. M. Stickler

---

[8] « L'Eglise pouvait être très vaste, elle pouvait aussi se montrer inflexiblement sévère. Si l'on considère l'ensemble de son histoire, on voit qu'elle fut l'un et l'autre, avec un instinct sûr de ce qui convenait aux différents peuples et à toute l'humanité... L'histoire du droit canon, jusqu' au Code actuellement en vigueur, en fournit bon nombre de preuves significatives. Prenez, par exemple, la législation ecclésiastique du mariage et les récentes déclarations pontificales sur les questions de la société conjugale et de la famille dans tous leurs aspects. Vous y trouverez un exemple, parmi beaucoup d'autres, de la manière dont l'Eglise pense et travaille » : *A. A. S.* 47, 1955, 676. - Cf. insuper quae de relationibus inter Ecclesiam et Statum dicuntur *ibidem*, 677 ss.

[9] « Ci siamo votati agli apostolati facili, invece che scavare profondamente... torniamo quindi e facciamo tornare allo studio severo... quando la nostra teologia fosse in onore e fossero in onore le altre discipline dello studio sacro, anche oggi noi staremmo assai meglio. Saremmo molto più rispettati.... Studiamo nel silenzio e profondamente » : *Osservatore Romano* 19 febbraio 1956, 1.

NATURA GIURIDICA DELLA CONGREGAZIONE DI S. CECILIA

LA CRISI DEL 1870

§ 1. La rivoluzione del 12 ottobre 1870.

Il 20 Settembre 1870 le truppe italiane entravano in Roma. Il potere temporale dei Papi su Roma e sullo Stato Pontificio di fatto finiva. Roma era annessa all'Italia e ne era proclamata capitale.

Per le circostanze in cui questi fatti si svolsero e sopratutto per lo spirito anticlericale e antipapale da cui erano animati alcuni capi, questa occupazione fu ritenuta una vittoria sul Papato e sulla Chiesa.

Molte istituzioni romane per le idee di alcuni membri in esse dominanti subirono le conseguenze di un tale spirito anticlericale. A tutto questo si aggiunga l'azione dei nuovi governanti, specie di coloro che erano preposti alla pubblica istruzione, per avere un quadro chiaro e preciso delle condizioni in cui vennero a trovarsi le istituzioni sorte sotto il governo pontificio o create dall'autorità del Pontefice in forza del potere spirituale. Da molti si confuse in quel periodo quanto era stato emanato dal Pontefice per il suo potere temporale e quanto invece proveniva direttamente dal suo potere spirituale. Volendo innovare quanto si riteneva proveniente dal governo pontificio si intaccava molte volte ciò che era emanazione esclusiva del potere spirituale.

Così all'indomani del 20 Settembre 1870, forse solo per iniziativa di alcuni soci o forse anche per interferenze delle autorità governative, fu indetta una riunione dei soci appartenenti alla Pontificia Congregazione ed Accademia di S. Cecilia per il 12 Ottobre 1870. Questa riunione si tenne nei locali di via Ripetta 222 C con l'intervento di 74 Congregati e 4 Professori i quali firmarono un verbale che riassumeva le deliberazioni dell'Assemblea [1].

---

[1] Verbale del Consiglio Direttivo 1870 p. 1. Il foglio è intestato ancora con questa indicazione: « Congregazione ed Accademia di S. Cecilia ». Il testo del verbale che riproduco in parte è a stampa, in parte è manoscritto.

Sottolineerò le parole manoscritte aggiunte alla stampa. « Questo dì *12* del mese di *Ottobre* dell'anno *1870* alle ore *4 pomeridiane* nelle stanze della Congregazione ed Accademia, previo l'intimo in iscritto da me sottoscritto Segretario trasmesso a tutti i Signori Congregati Componenti il Consiglio Dirigente, riconosciuto il numero legale degli intervenuti appresso notati, e recitate le preci pre-

Il Tosti ci dice che molti, perchè maestri di musica o cantori addetti al servizio delle Chiese, non condivisero le idee che ispiravano i rivoluzionari e non parteciparono alla riunione [2]. Infatti il numero dei convenuti è significativo, dato che facevano parte della Congregazione ed Accademia oltre duecento membri.

Per conoscere esattamente quali furono i principi ispiratori dei riformatori nella seduta del 12 Ottobre 1870 e per rendersi conto degli scopi che essi si prefiggevano nella innovazione dell'istituto, bisogna leggere integralmente il testo della circolare a stampa, letta ed approvata dall'assemblea del 12 Ottobre [3].

---

scritte, si è aperta la Adunanza Generale e sono state poste a discussione, e deliberate le seguenti proposizioni ».

(Seguono le firme autografe di 74 Congregati più 4 Professori).

« *Riconosciuto legale il numero degli intervenuti dal Segretario (M°Bertini) provisorio* (sic), *viene letto un breve discorso sulla cessazione del regime clericale* ed *alla necessità di dare nuova costituzione all' accademia, il quale stampato viene distribuito ed approvato ad unanimità*

firmato il ff. di Segretario
Guglielmo Castellani ».

I volumi dei Verbali del Consiglio Direttivo sono conservati nell' Archivio dell' Accademia Nazionale di S. Cecilia.

[2] Tosti E. Appunti storici sulla R. Accademia di S. Cecilia. Roma 1885, p. 29: « Non poche rinunce di soci fecero seguito alla rivoluzione avvenuta, ma la maggior parte di queste si riferiscono a coloro che dedicati alle esecuzioni ecclesiastiche, non potevano, senza sacrificio dei propri interessi, adattare tale innovazione ».

[3] Tale circolare l' ho trovata nell'Archivio dell'Accademia Cat. 4 Busta 124 n. 56. Circolare a stampa dal Verbale 1 del 12 Ottobre 1870.

« Illustrissimi Signori,

Il giorno 20 Settembre 1870 segnava nella storia la più gloriosa pagina del secolo. Roma dopo 15 secoli veniva dalle armi italiane sottratta al dominio temporale del papato. In conseguenza di tale fatto caddero con esso le costituzioni clericali imposte agli instituti, accademie ed associazioni tutte. *L'accademia di S. Cecilia soggetta fin dal suo nascere nel 1583 al regime ecclesiastico col titolo di Congregazione* crebbe più che all' incremento vero dell' arte musicale, alla tutela di alcuni diritti dei suoi componenti nelle musiche religiose. Da oggi cesserà il titolo puramente ecclesiastico di Congregazione e subentrerà il solo di Accademia.

Le cariche adunque elette per mezzo dell' autorità ecclesiastica cessano di fatto, e voi, o signori, dichiarando cessate le vecchie istituzioni, ed i ministri di quelle, siete qui convocati ad eleggere una commissione la quale regga provvisoriamente l' Accademia preparando contemporaneamente le sue leggi avvenire le quali siano concordi colle libere istituzioni delle quali godiamo.

Necessario si è 1° la rinnovazione completa dello Statuto 2° la formazione di una cassa di mutuo soccorso 3° lo stabilimento di un liceo musicale 4° costituzione di un Circolo musicale Romano, il quale è indispensabile onde intendersi in tutti gli affari musicali e politici.

La cessata reggenza nulla omise al buon andamento dell' Accademia e nel corso di circa 4 anni aveste campo di osservare quanto venne operato tanto dal lato artistico che amministrativo ed oggi rimane una rendita libera di L. 1833 circa

Naturalmente questa circolare, perchè stampata, era stata preparata, non sappiamo da chi, e fu distribuita perchè tutti ne prendessero visione e l'approvassero. Nel fervore dell'entusiasmo anticlericale e antipapale, da cui erano presi i promotori della riunione, fu anche gettato a terra il busto di Pio IX che era nella sala [4], volendo così indicare la completa indipendenza dell'Accademia dall'autorità religiosa e dal Papa, che l'aveva approvata appena creata e sempre l'aveva seguita con benevolenza e dotata di tanti privilegi sino a concedere anche una sede degna nel nuovo Palazzo di via di Ripetta. Inconsapevolmente quel gesto manifestava la frattura posta tra la Congregazione di S. Cecilia e la nuova Accademia formata in quella riunione.

A questo proposito è utile notare che nella prima parte del foglietto a stampa distribuito il 12 Ottobre è sottolineato il radicale cambiamento che si volle operare nell'istituto, sostituendo il titolo di Congregazione ritenuto « *puramente ecclesiastico* » in Accademia e con la dichiarazione della fine delle « vecchie istituzioni » sopratutto ritenendo cessate le cariche elette dall'autorità ecclesiastica, che erano soltanto il Card. Protettore e il Primicerio.

Si volle in tal modo rompere ogni vincolo del Sodalizio con l'autorità ecclesiastica che l'aveva eretto.

Basterebbe solo quanto è dichiarato in questo manifestino per renderci certi che il carattere della Congregazione (lo riconoscono gli stessi riformatori) era strettamente ecclesiastico, per cui ora si procede alla fondazione di una associazione laica.

Prendiamo atto dei dati fornitici dalla circolare sul patrimonio posseduto dalla Congregazione, consistente in L. 1833 annuali di rendita libera, e in L. 1500 annuali di rendita di capitale vincolato: patrimonio libero da ogni passività, e che al 1870 aveva il suo discreto valore, mentre oggi potrebbe sembrare irrisorio. Tutto questo contraddice a quanto affermava il Cametti in uno scritto polemico contro Casimiri, perchè il tracollo economico è imputabile solo alla

---

annue, porzione in consolidato al portatore e porzione in tasse annuali e di patenti oltre un capitale vincolato di L. 1500 annuali di rendita.

In queste brevi parole ho esposto o Signori la situazione della nostra Accademia; ora con la saviezza che vi distingue eleggete la commissione provvisoria dirigente ed unitevi meco a gridare.

Viva il Re, Viva l'Italia unita, Viva Roma capitale.

G. Castellani ».

[4] L'episodio del busto di Pio IX gettato a terra è riportato da Casimiri nel suo articolo « L'antica Congregazione di S. Cecilia fra i musici di Roma nel secolo XVII »: Note d'archivio 1924 p. 117 e nel suo volume Cantantibus organis p. 339, 436; cfr. Romita, Azione Ceciliana, 1954 p. 237.

pessima gestione di alcuni amministratori disonesti preposti dai riformatori [5].

§ 2. Primi atti della riformata accademia di S. Cecilia.

Proseguendo nelle linee programmatiche tracciate dall'assemblea del 12 Ottobre, il giorno dopo, il 13, ci furono le consegne dell'Archivio, Biblioteca, Segreteria e di tutto il locale della Congregazione ed Accademia di S. Cecilia per mano di Guglielmo Castellani, quello stesso che appariva come Segretario nel foglio rivoluzionario distribuito il 12 Ottobre [6]. Mentre questo episodio farebbe supporre che il Castellani non abbia veramente sottoscritto quel foglio, d'altra parte non si spiegherebbe perchè i nuovi dirigenti gli abbiano richiesto le consegne, invece di riconfermarlo in carica. E' anche vero che il Castellani mancò di rispetto ed offese il Card. Protettore Di Pietro, come apprendiamo da una protesta presentata alla Commissione Dirigente da alcuni membri del Sodalizio [7]; ma non sappiamo spiegarci come lo zelante segretario non sia stato ben accetto ai nuovi dirigenti!

La prima Commissione Dirigente risultò composta dai seguenti

---

[5] Cfr. Cantatibus organis p. 336-337. La Relazione della Commissione Dirigente del 1875 a proposito dell'esattore Pelissier, il quale in quel tempo era ancora debitore verso l'Accademia di L. 1300, non può fare a meno di definire questo episodio un fatto spiacevole.

[6] Processi verbali 1870. Verbale n. 2: 13 Ottobre 1870: « Nella presente Sessione si è preso atto di consegna dell'ex-segretario Sig. Comm. Guglielmo Castellani, dell'Archivio, Biblioteca e Segreteria non che di tutto il Locale ed oggetti inerenti senza alcun Inventario perchè non esistente, siccome ha dichiarato il cessato Segretario Sig. Castellani, e come risulta dall'inserto atto di consegna dal medesimo sottoscritto ed in presenza del medesimo vennero apposte le biffe nelle sale della Biblioteca ed Archivio ».

[7] Processi Verbali 1870. Verbale n. 3: « Nella Sessione del giorno 15 Ottobre 1870. Sono intervenuti i Signori M° Bornia - M° Salesi - Prof. Vuon - Prof. De Angelis - M° De Sanctis. La sessione è aperta alle ore 4 p.

Il Segretario letto il Verbale precedente presenta un Indirizzo di vari Soci col quale si domanda alla Commissione Dirigente di fare qualche atto di ossequio all'Em.mo Card. Di Pietro, in seguito alle inurbanità commesse presso il medesimo dall'ex-Segretario Sig. Castellani.

La Commissione delibera che essendo un fatto tutto personale, l'Accademia non debba intervenire. Assicura però i sottoscrittori dell'indirizzo medesimo che Essa farà quanto è possibile per il loro migliore interesse ».

Non sembra da tutto l'insieme che le offese fatte al Card. Di Pietro siano un fatto del tutto personale del Segretario Castellani. Non sapremmo spiegarci l'unanimità nell'approvazione delle parole lette e firmate dal Segretario Castellani il 12 Ottobre: parole che certamente non erano affatto degne di persone che mesi prima si erano dichiarate presso le autorità ecclesiastiche ossequienti e riverenti. Se dobbiamo credere al verbale del 12 Ottobre i 78 presenti applaudirono all'unanimità.

Accademici: M° Bornia - M° Salesi - Prof. Vuon - Prof. De Angelis - M° De Sanctis - Segretario il Prof. Monachesi, poi sostituito dall'avv. Edoardo Pelissier.

Il 18 Ottobre si deliberò di inviare una deputazione ad ossequiare il Luogotenente generale La Marmora, presentando a lui un memoriale [8].

Per la sistemazione definitiva dell'Istituto, aderendo a quanto era stato deliberato il 12 Ottobre, fu nominata una commissione incaricata di redigere il nuovo Statuto Accademico nelle persone degli « Avv. Spinetti - M° De Sanctis - M° Viviani - M° Lucilla - M° Salesi - Prof. Giannoli - Prof. N. Rosati - Prof. S. De Angelis - M° Orsini colla qualifica di Segretario - Avv. Edoardo Pelissier » [9]. Questa commissione in numerose riunioni elaborò il progetto dello Statuto da presentare al Ministero della Pubblica Istruzione per ottenere poi l'approvazione del Re.

Trovo degni di rilievi due episodi, per me significativi, perchè rivelano il disagio che si avvertiva nella identificazione della natura giuridica dell'Accademia che era risultata dalla riunione del 12 Ottobre.

Il 22 Novembre, festa di S. Cecilia, fu proposto nella riunione della Commissione Dirigente di scrivere una lettera al Superiore dei Padri di S. Carlo a Catinari per poter eseguire la Messa della S. Titolare e per notificare la « nuova Reggenza costituitasi il 12 Ottobre » [10]. Nella riunione del 26 Novembre seguente fu letta la risposta del P. Superiore dei Barnabiti, che ho potuto consultare personalmente tra le carte dell'Archivio dell'Accademia. Il Superiore in questa lettera dichiara di ospitare i componenti il Consiglio Dirigente per la S. Messa, ma si libera da ogni responsabilità, essendosi ritirato il Card. Di Pietro come Visitatore e Protettore e non conoscendo quali siano i rapporti dell'attuale Accademia con l'antica Congregazione [11]: segno evidente che già nei primi giorni non solo i soci erano a conoscenza degli scopi perseguiti dai rivoltosi, ma anche gli estranei erano consci della trasformazione operata nel Sodalizio di S. Cecilia. Del resto è significativo l'accenno fatto dal Padre Superiore in questa lettera al ritiro del Card. Protettore.

Come era stato proposto nella riunione del 12 Ottobre, al titolo di Pontificia si volle sostituire quella di « regia », ma per tale apposizione era necessario l'assenso del Sovrano. Perciò nella seduta

---

[8] Processi verbali 1870. Verbale n. 4: 18 Ottobre 1870.
[9] Ibidem Verbale n. 6: 25 ottobre 1870.
[10] Ibidem Verbale n. 16: 22 Novembre 1870.
[11] La lettera è nell'Archivio dell'Accademia Cat. 1 Serie 4 Busta 12 n. 47.

del 12 Gennaio 1871 si decise di inoltrare la domanda al Sovrano [12]. Il titolo fu concesso.

Per riconoscenza si volle rendere omaggio alla Casa Reale, proponendo come Presidente d'onore il Principe Umberto pregandolo in pari tempo di accogliere la nomina a Protettore dell'Accademia, sostituendo così il Protettorato del Cardinale nominato dal Pontefice. Si proponeva poi la Principessa Margherita a Socia d'onore [13].

La risposta dei Principi non assecondò in tutto la domanda del Consiglio di Reggenza, perchè fu dato il consenso soltanto per l'iscrizione dei due Principi come Soci di onore, accettando il titolo di presidente onorario per il Principe Umberto [14], ma era escluso il titolo di Protettore che poteva suonare offesa e vilipendio diretto all'autorità ecclesiastica.

Ottemperando ancora ai desiderata del 12 Ottobre, nel Dicembre 1870 fu inviata una circolare a stampa per l'apertura del Circolo Musicale Romano « per intendersi in tutti gli affari musicali e politici » come era stabilito al punto 4° proposto [15]. I fini *musicali* e *politici* erano sullo stesso piano, in omaggio all'arte pura!

Non sappiamo quanti aderirono al nuovo Circolo Musicale Romano.

§ 3. Formulazione dei nuovi Statuti.

Già nella riunione del 12 Ottobre 1870 era stata proposta la formulazione di nuovi Statuti che fossero aderenti alla nuova si-

[12] Processi Verbali del Consiglio Direttivo 1871 Verb. n. 1 12 Gennaio 1871: « Si decide di fare una domanda per ottenere il titolo di Reale » e nel Verbale n. 6 del 17 Febbraio 1871, forse in seguito all'assenso del Sovrano, « Si propone di aggiungere il titolo di Regia al titolo di Accademia di S. Cecilia ed è ammessa la proposta all'unanimità ».

[13] Processi verbali 1871, Verbale n. 6: 17 Febbraio 1871: « E' stato proposto il Principe Umberto a Presidente d'onore e Protettore dell'Accademia di S. Cecilia, e la Principessa Margherita di Savoia a Socia d'onore, e fu eletto per acclamazione ».

[14] Processi Verbali 1871, Verbale n. 8 del 26 marzo 1871: « Si comunica la risposta delle LL. AA. RR. colla quale accettano: il Principe Umberto *il titolo di Socio di onore* e *presidente onorario* dell'Accademia e la Principessa Margherita *Socia d'onore* ».

[15] Processi Verbali 1870. Verbale n. 20 Prot. 66 bis:

« Illustrissimo Signore,

La Commissione Provvisoria dell'Accademia di S. Cecilia venuta nella determinazione di effettuare quanto prima l'apertura del Circolo musicale, a forma del Mandato ricevuto dall'Adunanza Generale tenutasi il giorno 12 Ottobre p. p.: invita tutti i soci accademici per il giorno 14 corr. alle ore 3,1/2 pom. ad assistere alla lettura e discussione del Regolamento.

Per le sottoscrizioni le sale dell'Accademia saranno aperte anche nei susseguenti giorni di Giovedì e Venerdì dalle ore 4 alle 6 pom.

Roma 8 Decembre 1870.

Il Segretario: Prof. Enrico Monachesi ».

tuazione creatasi dopo il 20 Settembre 1870 ed alle idee di coloro che erano a capo del movimento di riforma in seno al Sodalizio.

Il 25 Ottobre 1870 fu istituita una Commissione incaricata di redigere il testo del nuovo Statuto. Il 30 Ottobre 1874 si ebbe notizia della firma reale [16] e il 27 Dicembre seguente il Ministero della Pubblica Istruzione dava la notizia ufficiale dell'approcazione sovrana al progetto presentato [17].

Per un'esatta valutazione della maniera con cui in quel periodo venivano formulati alcuni Statuti facciamo notare come un altro Sodalizio romano, il quale del resto non aveva la configurazione di sodalizio strettamente ecclesiastico come la nostra Congregazione, si sia nobilmente comportato nelle medesime circostanze. in cui alcuni soci volevano appropriarsi di una istituzione di cui non potevano disporre a discrezione per dare origine ad un altro istituto per nulla continuativo del precedente. L'Accademia Romana di S. Luca si oppose decisamente alla riforma voluta dal Ministero della Pubblica Istruzione, il quale voleva imporre al glorioso Istituto uno Statuto lesivo delle prerogative sempre godute e concesse dai Pontefici [18]. Anzi per una maggiore affermazione dell'indipendenza dell'Istituto fu stampata una protesta sottoscritta da tutti gli Accademici i quali decisamente si opponevano alle mire opprimenti del Ministro che, in omaggio alla conclamata libertà (!), intendeva imporre agli Istituti anche artistici le proprie vedute [19].

L'Accademia di S. Luca, per l'energia mostrata in quella occasione e per l'ondata di proteste dell'opinione pubblica e di alcuni parlamentari, che seppe suscitare, anche se dovette abbandonare le scuole sussidiate dal Governo, non cedette e non fu più molestata dal Governo italiano e dal Ministero della Pubblica Istruzione, vedendo quindi recedere il Ministro dalle sue determinazioni dettate da mire dittatoriali nei riguardi di un consesso di grandi artisti.

[16] Processi Verbali 1874. Seduta straordinaria del 30 Ottobre 1874 Verb. n. 38: « Il Segretario ... presenta una lettera del Presidente colla quale partecipa alla Commissione che lo Statuto ha ottenuto la firma Reale e che manca solo la firma del Ministro della Pùbblica Istruzione ».

[17] Ibidem Verbale n. 47: Seduta del 27 Dicembre 1874: « Il Segretario dà lettura di un foglio diretto a questa R. Accademia per parte del Ministero della Istruzione Pubblica col quale l' Onorevole Ministro partecipa a questa Commissione Dirigente l' approvazione dello Statuto Accademico per parte di S. Maestà ».

[18] Cfr. Tarchiani Nello, R. Accademia Romana di S. Luca: Enc. Italiana, vol. I, p. 190.

